a. 17. octobris 1623. 20



20

# VOTA ET MOTIVA OBLATA IN REGIA AVDIENTIA IN PROCESSV IOANNIS HIERONYMI de Abenya, & Hieronymæ de Lizarbe,

## Super apprehensione Baroniæ de Sigues.

IN DEI NOMINE. Nouerint vniuersi quod anno a Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, die vero quæ computabatur decimaseptima mensis Octobris apud Ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij causarum Ciuilium præsentis Regni Aragonum, interuenerunt & fuerunt præsentes Excellentissimus Dominus Locumtenens, & Capitaneus generalis pro sua Maiestate in eodem Regno: Necnon magnifici Domini Martinus Godino Regens Cancellariam extraordinarius in locum magnifici Domini Iosephi de Sesse Regentis Cancellariam pro suspecto dati, Dominicus Abengochea, Ioannes Canales, & Franciscus Michael de Pueyo Regij Consiliarij ordinarij, & Antonius Fuster Regius Consiliarius extraordinarius in locum magnifici Domini Augustini Pilares, etiam pro suspecto dati coram quibus fuit positus processus Ioannis Hieronymi de Abenya, & Hieronymæ de Lizarbe coniugum super apprehensione in quo tres ex dictis dominis de dicto Regio Consilio concordes fuerunt voti & opinionis quod Atten. Conten. &c. Tenetur & debet pronuntiare & mandare fieri cõtenta in propositione Ioannis Hieronymi de Abenya, & Hieronymæ de Lizarbe coniugum principaliũ Gasparis Siesso Procuratoris cum expensis iuribus suis durantibus, & eis finitis contenta in propositione Egregiæ Domnæ Franciscæ de Bolea & Castro principalis Hieronymi de Abenya, & Didaci Pilares Procuratorum cum expensis iuribus suis & eius viduitate durantibus à die executionis præsentis apprehensionis computandis, & sine eius præiuditio contenta in propositione Iusti Perez de Pomar Torres & Mendoça principalis dictorum Hieronymi de Abenya, & Didaci Pilares Procuratorum præstita prius respectiue cautione forali alijs propositionibus repulsis reseruatis iuribus reseruari supplicantibus neutram partium, in expensis dẽptis prædictis taxandis condemnando cætera supplicata, locum non habere. EX EO, & aliàs recipitur propositio Ioannis Hieronymi de Abenya,

nya, & Hieronymæ Lizarbe conjugum quoniam, ex deductis probatis, & exhibitis, in processu constat, ac præcipue, ex instrumento pactorum dotalium, inter don Santium de Pomar, & Domnam Catherinam Cerdan initorum, in præsenti processu exhibito ipsam Domnã Catherinam adduxisse in contemplationem matrimonij & parentes suos, eidem donasse propter nuptias quantitatem quatuor mille librarum Iaccensium quam don Santius mediante apocha in processu exhibita se recipisse confesus fuit quam don Santius prædictus existens dominus & possessor Baroniæ de Sigues apprehensæ super omnibus bonis suis asecurauit simul cũ alia quantitate ratione augmento dotis siue promissæ eademq; bona pro solutione ac restitutione prædictæ quantitatis in casum solutionis matrimonij hypothecauit cum clausulis obligationibus, & hypothecis in similibus instrumentis apponi solitis. Quæ Domna Catherina Cerdan in capitolis matrimonialibus don Georgij de Heredia, & domnæ Catherinæ de Pomar ejus filiæ, quinque mille libras Iaccenses quæ sibi debebantur ratione suæ dotis super omnibus bonis prædicti don Santij, eidem filiæ donauit & promisit, ac se obligauit dictam quantitatem sub hypothecis, & clausulis in censualibus apponi consuetis, impositam & assecuratam tradere in omnibus bonis suis, & prefati Don Santij, censuale formatum constituendo, Postmodum confecto prius testamento in quo posthumum ex ea nascitu- rum heredem instituit peperit Don Carolum de Heredia, & ex partu ipso obijt, & ipse Don Carolus heres institutus contraxit matrimonium cum Domna Francisca de Bolea, quam postea in suo testamento heredem vniuersalem instituit, ac deinde decesit per cuius mortem suum testamentum vires assumpsit. Domna Catherina Cerdan decesit quodam die anni millesimi quingentesimi septuagesimi noni, non adimpleta promisione soluendi, seu consensum imponendi dictarum quinque mille librarum. Vnde à die mortis illius cepit currere tempus ipsi Don Carolo eius filio, & heredi petendi, & exigendi prædictas dotes, quarum petitio iuxta forum, & obseruantiam Regni triginta annorum lapsu præscribitur, & quamuis à die prefate mortis vsque ad presentem apprehensionem transacti fuerint plusquam quadraginta annis, demptis vero quatuordecim annis ob minorem etatẽ predicti Don Caroli (durante namq; tempore minoris etatis prescriptio currere non valet) manifestum fiet, tempore inchoate huiusmodi apprehensionis non effluxisse dictos triginta annos, & sic tempore legitimo in præsenti Processu peti posse dotes supradictas prout petuntur, ex quo fit quod pro quantitate dictorum viginti sex mille solidorum Iaccensium parti, seu portione prememoratæ dotis Domne Catherinæ Cerdan, obtulit propositionem dictus Ioannes Hieronymus de Abenya, & Hiero-

nyme

nymę de Lizarbe tamq; ius & causam habens à Domina Francisca de Bolea mediante instrumento venditionis in Processu exhibito. Neque possunt ei quidpiam obstare vincula, & substitutiones in eisdem bonis impositę, quia ab ipso Don Santio vinculante fuerunt pro restitutione prædictę dotis domnę Catherinæ vxoris suę eadem bona obligata & hypothecata quare non obstantibus vinculis recipienda procul dubio est propositio prędicta: in pręiuditium namq; creditorum suorum non potuit Don Santius bona sua vinculis, & substitutionibus subijcere. Quid quod in eisdem pactis dotalibus Don Ludouici de Pomar vbi vincula hęc continentur pactum reperitur adięctum, quod ex vinculo & fideicommisso prędicto nullum pararetur præiuditium dotibus dictæ Catherinæ Cerdan. Secundo loco recipitur propositio Egregiæ Domnæ Franciscæ de Bolea ratione viduitatis annui redditus viginti quatuor mille solidorum Iaccensium sibi competentis in omnibus bonis Don Caroli de Heredia eius viri, & promisse in pactis dotalibus inter eos conuentis, & in processu exhibitis, tam in bonis, quæ dum in humanis agebat, possedit, quam in alijs atq; ius habebat, eorum tamen successio eidem in vita delata non fuit, prout videre est in successione bonorum Baronię de Sigues apprehensę, quę per sententiã in Curia Iustitię Aragonum latam adiudicata fuit don Ioannis de Liñan domini de Cetina, sed quia in hoc processu obtinuit iustus tanquam proximior don Carolo de Heredia Comiti de Fuentes successori legitimo iñ hac Baronia per mortem don Bernardini de Mendoça iunioris eius vltimi possessoris. Ideò recipitur propositio dictę domnę Franciscę ratione dictę viduitatis pactionatę, nec recipitur propositio viduitatis prædictæ domnæ Franciscæ de Bolea, à tempore mortis don Caroli, eius mariti, sed tantum a tempore præsentis apprehensionis, nam ius viduitatis foralis, vel pactionatę est ius vsufructus, imo pactiora iura habet viduus, vel vidua quã vsufructuarius, & est pars dominij, seu dominium vtile, ideoque eius virtute repositioni locus est in processu apprehensionis, vt sępe in Senatibus regni receptum est qua propter de illo iure reali, seu vsusfructus bonorum apprehensorum a tempore tãtum morte litis iudicandum est, in iuditio reali, & articulo possessorio, nec fructus, nec bona nisi ab illo die peti possũt. Idq; in generali bonorum viduitate constitutissimum est, & cũ viduitas pactionata, & limitata in locum generalis, & vniuersalis subrogata sit, & in bonis constituta respectu certę quantitatis ratione viduitatis foralis, vt ex instrumento pactorum dotalium constat, illius naturam sequitur, nec melioris conditionis esse debet, & de eisdem fructibus recuperari, & pro tempore quo vniuersalis viduitas adiudicãda foret, pactionata, limitata, & subrogata aplicãda venit. Idq; multo magis procedit in bonis maioratus, & vinculi,

in

in quibus(licet a marito domino,nunquam possessa sint) de foro locum habet ius viduitatis, & illa bona subiecta sunt viduitati,ratione tamē fructuū proprietate semper,salua & intacta remanente successori , ita vt tempore viduitatis finita,illa bona pleno iure restituantur , & pertineant successori vinculi, & maioratus,absq. nexu, & obligatione aliqua iuris viduitatis,cum illud ius temporale, & reale tempore extinctum sit, & sicut hoc in viduitate forali in omnibus bonis pertinenti,vel constituta indubitatum est, similiter de pactionata, & limitata sentiendū est ex vi & natura subrogationis, & ne aliàs toto tempore viduitatis tacente vidua ad fauorē possidētis bona maioratus(in quorū fructibus constituta est viduitas)ille ab integro, absq; viduitatis detractione vsufructu bonorum peteretur in preiuditium alterius successoris in eodem maioratu,illaq. iam finita extintaq. viduitate propter illam vtilitatem, & vsufructu bonorum priuaret, & per indirectū successio ad nihilum redderet,propter negligentiam,seu emulationem viduæ quę sic ex malitia sua forte multiplicet commodum reportaret in odium alterius quod euitari non posset, & iura maxime aborrent, & malitijs obiādum disponunt,neq. ius prędictum viduitatis asimilari potest pensionibus Censualium,neq; alijs creditis,in quibus cum hypothecam bonorum habeant,donec integra soluantur,transeunt actiones in quemcunq. successorem, & bonorum possessorem data validitate obligationum , & non aliàs. Nam ius viduitatis, & ius vsusfructus, & ad tempus in bonis ipsis pertinens & singulis annis percipitur, vel percipi debuerat: & sic tamq. ius reale adhęrens rei temporaliter ipsam rem concommittatur , & ideo sicut de ipsamet re á tempore tantum motelitis peti, & adiudicari debet in iuditijs possessorijs, & realibus, maximè in vinculatis bonis vt prædictum est. Recipitur,præterea propositio dictę D. Franciscę de Bolea, atq. etiam propositio don Iusti Perez de Pomar, Torres & Mendoça respectiue, quoniam ex deductis & allegatis in processu constat,succesionem bonorum apprehensorum secundum clausulam vinculi, & maioratus constituti per don Santiū Perez de Pomar, & domnam Catherinam Cerdan coniuges in capitulis matrimonialibus don Ludouici Perez de Pomar eius filij cum domna Alduntia de Gurrea initis regulanda fore,in dictis namq. pactis nuptialibus titulo donationis bona Castra, & loca apprehensa in prædictum don Ludouicum collata ficere , cum pacto , vt ea perpetuo vnita, & indiuisibilia permanerent,nec alienare aliquo modo possent , nisi in filios masculos legitimos ordine primogeniturę seruato.Quo supposito restitutorio, & absoluto fideicommisso perpetuo,in fauorem filij masculi maioris, & primo geniti legitimi, & de legitimo matrimonio procreati, & succesiue, & gradualiter suorum descendentium , masculorum legitime natorum ordine



primo-

primogenituræ ipsum don Ludouicum, don Santius, & domna Catherina grauarunt; ita vt perpetuo & semper bona integra deuenirent de maiori in maiorem sanę mentis, non insensatum, non furiosum, non mentecaptũ nec religiosum; Et in defectu filiorum & descendentium masculorum per lineam masculinam don Ludouici, in secundo substitutionis gradu domnam Mariã de Pomar Ducissam de Villahermosa eius sororẽ, & illius filios & descendentes masculos per lineam masculinam successiue substituerunt. Et post modum in tertio loco in defectu omnium prædictorum suarum filiarum filios masculos legitimos, & de legitimo matrimonio procreatos vocarunt. Primo videlicet filios masculos filiæ maioris, & dificiẽtibus illis sequentis filiæ, & sic de gradu in gradum inter descendentes masculos prædictarum filiarum; ita quod vnus solus semper succederet secundum ordinem primogeniturę, cum qualitatibus supradictis. Et tandem ad quartum successionis gradũ accedendo omnibus si prædictis deficientibus sequens clausula subnectitur, *Y faltando y siempre que faltaren descendientes varones por linea masculina legitimos, y de legitimo matrimonio procreados del dicho señor Don Luys y de la Illustrissima señora Duquesa, y de todas sus hermanas, bueluan y peruẽgan dichos bienes en hijas, o descendientes dellas legitimas, & del dicho señor Don Luys, perpetuamente en vn solo successor, guardando orden de primogenitura, y prefiriendo siempre el masclo a la fembra, guardando siempre dichas condiciones y calidades,* Qua quidem substitutione, & dispositione præcisse in facti contingentia certum ac indubium est don Santium, pręter don Ludouicum, & domnam Mariam habuisse in filias legitimas, & naturales domnam Annam de Pomar filiam maiorem, & Domnam Catherinam, & aliàs prædictam quõdam domnam Annam, ex suo legitimo matrimonio, cum don Francisco de Mendoça contracto habuisse in filios don Bernardinum, & domnam Blãcam de Mendoza; domnam Catherinam autem ex legitimo matrimonio cum don Georgio de Heredia habuisse filium vnicum don Carolum de Heredia Comitem de Fuentes; finitisq. omnibus descendentibus don Ludouici, & domnæ Mariæ, & sic vtraq. linea deficiente successisse don Bernardinum de Mendoza filium filiæ maioris, & post illius obitum don Bernardinum minorem eius filium vltimum bonorum apprehensorum possessorem, eumq. decisisse minorem ætatis quatuordecim annorum, & absque filijs superstitibus tamen prædicto don Carolo, & don Iusto de Torres filio legitimo, & naturali præfatæ domnæ Blancæ de Mendoza, & Michaelis de Torres coniugum, ac etiam superstite domino de Cetina nepote dõ Bernardini maioris, ex domna Esperança eius filia. Deinde obijt don Carolũ, absq. filijs superstite domna Francisca de Bolea eius vidua, & dictis don Iusto, & domino de Cetina, inter quos lis præsens vertitur. In totum igitur lineæ don Ludouici, & domnæ Mariæ defecerunt, & similiter omnes des-

cendentes masculi per lineam masculinam domnę Annæ, & dominæ Catherinæ de Pomar, & aliarum filiarum don Santij, quibus suppositis, & mature prout decet perpensis successionem, hanc de qua contenditur ad quartam supra insertam substitutionem delatam esse, ex prędicta totius vinculi contextura manifeste apparet, & ex infra dicendis luce meridiana clarius apparebit, & iuxta illius tenorem necessario regulanda esse, in qua don Iustus filius domnæ Blancæ sub nomine filiarum primo, & specialiter vocate, tanquam filius, & eius locum obtinens, necessariam habet inclusionem, & vocationem antequam dominus de Cetina à domna Sperantia nepte domnæ Annæ (& sic à remotiori linea fœminina, in qua successio ingressa est) descendens. Quamuis enim in tertia nostri vinculi substitutione don Santius vocauerit suarum filiarum filios masculos, & illorum descendentes masculos, & dominus de Cetina, sit don Bernardino maioris nepos, ex dōna Sperantia filia, & pro nepos domnæ Annæ filię maioris don Santij, ac propterea vocatum se esse prætendat quia est masculos, & descendens, & appellatione descendentium masculorum, venire masculos & fœminis, ex vi, & proprietate verbi maxime, vbi stamus cartę, in quo suam intentionē fundare conatur; illa tamen non subsistit licet enim in illa ingenti, & valde disputabili quęstione, in qua omnis doctorum schola diuisa est, in terminis simplicibus fateremur partem afirmatiuam, nempè masculos ex fœminis comprehendi appellatione descendentium masculorum proprietati, verborum inherendo. (Quod in materia differenti feudi, & maioratus non transit sine difficultate infinitis asserentibus in materia maioratus masculorum, & sic irregularis propter exclusione fœminarum contra illius naturam rationem conseruandæ agnationis, tanquam vnicam contemplatam fuisse, & sic pro expressa haberi, & incipiendo à masculo semper masculos descendentes immediate, ab eo illam vocationem, & maioratus Constitutionem intelligentibus, & causam immediatam considerantibus, quam communem esse opinionem, & conciliationem asserūt in quo quia ad decisionem huius causæ necessarium, non est & ne alijs præiuditiū inferamus iuditium nostrum non interponimus exploratissimi tamen iuris est, & in hoc vtriusque opiniones sectatores conueniunt ex adminiculis, & adiunctis ex litera ipsa resultantibus, & in ea existentibus, & vniuersa contextura dispositionis inspecta (quam ad veram interpretationem eruendā & voluntatem disponentium declarandam perpendendam, esse nemo est, qui ambigat) appellatione descendentium masculorum masculos, ex masculis tantum descendentes non ex fęminis comprehendi, cum enim disponentes vnicam, & indiuiduam ad suam intentionem aperiendam constituerint scripturam, illam integram inspicere debemus, sępe sępius; enim contingit,

tingit,vt quod in vna parte illius propter mentis , seu memorię ęquiuocè, vel minus expresse dictum fuerit statim in alia magis clarè specificè, & expresius demonstrauerint se ipsum interpretando nulla enim est certior & securior voluntatis interpretatio , & glosam quam quæ ex ipsius scripturæ contextu omnibus comixtis,& consideratis capitulis desumitur,& hoc est ad cartam iudicare,nam vnum dumtaxat,verbulum de per se , & in abstracto asumere compositum fuerit in concreto esset,eandem literam, & cartā offendere,& voluntates disponentium labefactare constat autem ex præcedentibus,& subsequentibus,nec non ex contentis in eadem tertia substitutione masculos ex fęminis,& ita dominum de Cetina, ex fæmina descendentem ( & sic non per lineam masculinam , cuius domna Sperantia , eius mater finis fuit ) non esse vocatos in illa substitutione , vbi lineę tantum masculinæ,& descendentibus masculis, ex masculis filiorum filiarum don Santij prospectum fuit,quod manifesto , & necessario conuincitur primo, ex finalibus verbis illius clausulæ ( con las dichas calidades arriba dichas) quæ pręcedentium omnium qualitatum relatiua,& repetitiua sunt,illasque antea expressas cuiuscumque generis,& speciei sint verborum tamen significatione,etiam in propriæ comprehensas complectuntur, & ex vi relationis literalis comprehensionis per viam expresi includunt, & cum don Sātius , don Ludouicum,eius filium, & suos filios masculos,& eorum descendentes masculos ordine primogeniturę vocauerit,& in illorum descendentium deffectum per lineam masculinam,& sic agnatis etiam cognatis exclusis domnam Mariam Ducisam prędilectam quamuis minorem,& ex se matrimonio ommissa domna Anna primogenita, & ex primo matrimonio,& post illam suos filios, & descendentes masculos per lineam masculinam , in secunda substitutione,in qua actiuè & pasiuè,qualitas descensus per lineā masculinam expressa reperitur.Postea ad tertiam substitutionem transeundo in prędictorum omnium deffectum,non quidem aliàs filias sororesque domnæ Marię , sed illarum filios masculos eorumque descendentes masculos,ad succesionem inuitauit ; cum eadem tamen qualitate masculinitatis, & masculis virtute verborum relatiuorum expresa in sequendo normam vocationis filiorum,& descendentium masculorum domnę Marię , quod sole clarius apparet,tum ex illis verbis (passe la dicha succesion &c.Et illis alijs,y asi de grado en grado,entre los descendientes de dichas hijas)quę verba æqualitatem succesionis inter omnes descendentes masculos filiarum,& relationem prędictę qualitatis in gradu descendentium domnęMarię expresse pręseferunt,(de quorum verborum natura, & propria significatione est antecedentis vocationis seriem , & formam continuare ) tum etiam ex alijs prędictis verbis relatiuis in fine clausulę appositis ( con las

dichas

dichas calidades arriba dichas,& omnium qualitatum cuiusuis generis cō prehensiua ) quæ relatio generalis est,ideoque non restringenda , ad solas illas qualitates non religiosi,non insensati furiosi,& mentecapti:nam licet illę exprimantur,& quidem aliquando,sub nomine conditionum, & qualitatum,aliquando sub nomine impedimentorum , & ideo in illa relatione comprehensas fore non dubitetur certissimi tamen iuris est,descensum per lineam masculinam , & masculinitatem ipsam ex masculis qualitatem esse, & passim á doctoribus iuriumque interpretibus, in prędicamento qualitatis constitui. Vnde tanquam qualitas pręcedens,& expressa in substitutione actiua,& passiuis pręcedentibus , ex vi generalis relationis , & comprehensionis cum relatum proprię insit in referente cum omnibus suis qualitatibus ita expresse , & clare occulis corporis cernitur , ac si de verbo ad verbũ in quolibet gradu istius tertiæ substitutionis repetita fuisset quæ expresio ex dicta clausula(con las dichas calidades arriba dichas) producta adeo literalis , & de carta est,vt nec per forum de illi stando ex veriori doctorum censura respuatur,Et in maioratibus, & gradualibus fideicōmissis constituendis. Optimo quidem consilio institutores primogenitorum ad superfluitatem implicationem,& dubitationem tollendas post statutam certam formam succedendi,in vno gradu , in quo conditiones , & qualitates expręserunt in sequentibus gradibus,& personis verbis tantum relatiuis vtuntur,ad prędictam normam,& qualitates,vnico verbo securus & certius repetendas,& comprehendendas, quod in pręsenti contigit , & euidentius demonstratur. Nam in gradu descendentium masculorum filiarum don Santij,& sic domnæ Annæ, & domnæ Catherinę millis verbis (y despues dellos en sus descendientes varones perpetuamente antes que a muger alguna ) non reperitur qualitas legitimitatis quam in illis , & in omnibus successoribus requisitam esse nullus inficiabitur neq; negare potest quia ex ipso tenore totius clausulæ,& contextura nostri vinculi euidēter demonstratur , & patet. Et sicut illa qualitas in illis verbis relatiuis ad informandam illum substitutionis gradum necessario includitur,sic & alię in pręcedentibus gradibus,& vocationibus expressę inclusę proculdubio sunt: tam qualitates affirmatiuę nempe legitimitatis descensus lineæ masculinę,& alię supra enarratę, quam negatiuę quas repetitas , tantum domini de Cetina prętendit restringendo verba relatiua contra ipsorum naturam proprietatem,& aptitudinem. Nam illa sunt indefinita , & sic generalia, idem importantia,ac si dictum fuisset,cum omnibus qualitatibus supradictis, & in vtroque casu ad omnes pręcedentes referenda sunt , natura enim relationis, siue generalis, siue indefinitæ ea est , vt omnia ad quę fieri potest relatio comprehendat,absque aliqua restrictione maximè in Regno

nostro,

noſtro,in quo nihil magis contrarium cartę,quam reſtrictio quę ediametro ei reſiſtit,cum detrahat literę, quod verem,ac proprię in ea continetur & cum apta,ſit illa relatio, & comprehenſio ex vi , & proprietate ſermonis ac prędictorum verborum ſimilitudinem inducentium ad prędictam interpretationem ſumendam litera premit,& cogit vt in tertia ſubſtitutione illi tantum modo vocati intelligantur qui habeant omnes qualitates, non ſolum,quę à diſponente qualitatum nomine nuncupantur,& nominatę fuere verum ipſam illas,quę in rei veritate qualitates ſunt,& expreſſę fuerunt in clauſula immediate pręcedenti interquas deſcenſus,per lineam maſculinam connumeratur,vt ſicut in prima don Ludouici linea,ipſe & eius filius legitimus maſculus primogenitus,& maſculi ab eo deſcendentes vocati,neceſſario, ex tenore literæ vſque ad tertium gradum agnati debent eſſe , idē de cæteris,ex vi continuati ſermonis videtur dicendum , & quā in defectū illorum ac deſcendentium maſculorum ex maſculis,domnam Mariam,& filios maſculos,& ab eis deſcendentes maſculos per lineam maſculinam tantum ſubſtituit,pariter etiam in omnium iſtorum defectum aliarum filiarum filios maſculos,& deſcendentes maſculos,cum eadem qualitate maſculinitatis ex maſculis vocaſſe perſpicium videtur, virtute ſimbolicitatis, ac relationis expreſſæ adpræcedentes vocationes maxime,ad proximam,& immediatam lineæ domnæ Mariæ,inſpecto præſertim vſu,& modo loquendi diſponentium;qui propriæ verborum ſignificationi præferēdus eſt, & ne etiā filias,& deſcendentes illarum, poſtpoſitos minuſque dilectus à meliori ſermone,& maiori fauore proſecutos eſſe dicamus contra gradualem , & ſucceſsiuum ſubſtitutionum curſum,qui ſemper retentis, eiſdem terminis ; & per ſubrogationem ſimilium perſonarum in omnibus gradibus obſeruari ſolet potiſsimè in maioratibus,in quibus ad euitandam ſuperfluam repetitionem breuitatis,& maioris declarationis cauſa vſitata relatione à doctoribus recepta qualitates in præcedenti vocatione expreſſe ad aliam mediante relatione trahuntur,&per viam expreſsi includuntur,neque prædictis refragatur , quod in ſecunda clauſula ( vbi adeſt vocatio domnæ Mariæ , & ſuorum deſcendentium) ſub nomine qualitatum noluit diſponens de alijs intelligere præterquam de negatiuis,& ſimiliter in quarta clauſula(prefiriēdo ſiempre el maſclo a la fembra guardando ſiempre dichas condiciones, y calidades ) non ſenſit de qualitate deſcenſus per lineam maſculinam vnde ſumpto argumento à præcedentibus , & ſequentibus , & vſu etiam loquendi diſponentis attento dicendum videbatur pariter in tertia ſubſtitutione,in expreſione, & relatione qualitatuum,vt non comprehendatur deſcenſus per lineam maſculinam.Nam huic obiectioni facilis eſt , ſolutio in primo enim caſu,ſpecialis,& reſtricta fuit facta mentio qualitatum negatiuarum,

uarum, nec in pręcedenti actiua lineę don Ludouici vocatione, fuerat adhuc expressa qualitas descensus masculini ad quam fieri posset relatio, neq. adest subiectum relationis: in secundo vero casu subiecta materia repugnat nam cum fœminę, & ab eis descendentes in illa substitutione, sint comprehensa, relatio nulla ratione fieri poterat, ad qualitatem ipsimet vocationi contrariam fœminę, enim & ab eis descendentes, nequeunt esse descendentes per lineam masculinam, cum sint in fæminina; quod vt notissimum nulla esset declaratione, & relatio quantumcumque generalis, non includit in compatibilia impossibilia, & repugnantia secus autem est in tertia linea de qua nunc sermo noster, versatur illius enim vocationem præcessit iam in anteriore immediata vocatione actiua, & passiua domnæ Marię, expressio qualitatis masculinitatis, ex masculis in illius filijs, & descendentibus; & continuatiuè postea immediate aliarum filiarum filijs masculis, & illorum descendentibus masculis vocatis ipsorum vocationem qualificauit, cum prædicta relatione pręcedentium, & earundem qualitatum, quæ relatio, vti generalis, seu indefinita omnia, atque referri potest includit absque vlla restrictione aliàs enim literas ipsas ofenderetur, vnde fit, quod dominus de Cetina, á fœmina descendens in prędicta tertia substitutione inclusionem non habet, nec habere posit. Adest etiam aliud literale pręcissum, & necessarium adminiculum, imo litera expressa pro declaratione vocationis descendentium masculorum domnæ Annę, & domnę Catherinę, vt tantummodo includat descendentes masculos, ex masculis, pro exclusione domini de Cetina, & certa necessariaque vocatione don Iusti, quę in quarta substitutione continetur, nam post sepedictam generalem, & ambiguam descendentium masculorum vocationem, pro introductione, & conditione quartę substitutionis adiecit disponens, illa verba (y faltando, y siempre que faltaren descendientes varones por linea masculina de dicho señor don Luys, y de la Illustrissima Señora Duquesa, y de todas sus hermanas, &c.) in quibus sub epilogo verborum omnes in anterioribus substitutionibus preuocatos, & illorum defectum in conditione posuit, prout introductione, & transitu, ad quartam substitutionem cuiusquidem conditionis expressio duplicem, & necessarium effectum operatur alterum quidem, vt ea conditione adimpleta locus fiat quartę substitutioni, in qua don Iustus, primum locum obtinet, vt latius postea dicetur de natura enim conditionis est, vt in forma specifica, adimpleatur, & ea adimpleta substitutioni locum faciat, eamque introducat maximè, in hoc Regno ex pręcepto forali de stando cartę, vt sic ex iuridica & forali regula in casu nostro, quia per obitum don Bernardini minoris, vltimi posessoris, & postmodum obitu don Caroli de Heredia, Comitis de Fuentes vltimi legis ministerio suc

 cessoris

cessoris defecerunt omnes descendentes masculi, per lineam masculinam conditio quartę, substitutionis adimpleta, & purificata fuit, & successio in illam statim ingressa alterũ vero quod ex dictis verbis conditionalibus manifeste constet ( prout apparet ) in omnibus pręcedentibus substitutionibus in epilogo dictę conditionis relatis, & comprehensis solummodo vocatos fuisse don Ludouici, domnę Marię, domnę Annę, & domnę Catherinę filios, & descendentes masculos per lineam masculinam, & non descendentes ex fœminis, & hoc per necessarium antecedens, & pro euitanda & figienda notoria contrarietate in compatibilitate, & repugnantia dispositionis, Nullatenus enim fieri potest, & manifestam repugnantiam in se continet, vt masculi descendentes ex fœminis succedere debeant, & successio nem obtineant, & adhuc is existentibus, si defecerint masculi descendentes ex masculis, statim ad ulteriores vocatos successio deferatur. Et augetur prędicta repugnantia, ex illo verbo ( siempre ) quod omnem casum, & tempus comprehendit, & ideo semper, & confestim quo defecerint ( prout contigitur descẽdẽtes masculi ex masculis don Ludouici, & suarum sororum, ex vi & proprietate sermonis, & ipsius literę comprehensione intelligere compellimur etiam, si existant masculi ex fęminis prout est domini de Cetina, illo quidem excluso locus, sit quartę substitutioni, cuius conditio purificata fuit casus, namque omnino contrarij, & repugnantes sunt, vt des cendentes masculi ex fæminis succedant, & quia deficiunt descendentes masculi ex masculis ad alios substitutos, eodem tempore successio deferatur. Quod cum ita sit pręualere debet ille casus, qui sub litera certa clara, & specifica continetur, & ne illa violetur. Et omnis tollatur contrarietas prædicta conditionalia verba perspicue, & omni dubitatione carentia generalia, & dubia declarare debent verbum autem ( descendentes masculi ) genericum est, cum duas complectatur species, & ambiguum, & potest se habere in plus, & in minus, & in illius intelligentia omnis doctorũ schola laborat, & idcirco dubium, non est subiectum esse declarationi, ex eadem scriptura, & ex pręcedentibus, & subsequentibus depromende, nimirumq. Si illud genus, & ęquiuocęm à verbis specificis continuo sequentibus declarationem recipiat, & quamuis in abstracto, & de per se vocatio descendentium masculorum certam habere determinationem ( in quo adhuc nõ est pax inter doctores ) aliter tamen in concreto iudicandum est ad stantibus scilicet adminiculis ipsiusmet literę aliud necęssarię inducentibus in quo ferè omnes conueniunt sicut de verbo ( filijs) quod iusta iuris interpretatione masculos & fæminas comprehendit, attamen quia genus est, comprehendens has duas species declarari potest ab alia parte scripturę. Quare si alibi fiat mentio de eisdem personis sub nomine specificio filiorum

liorum masculorum illud gemius restringitur, & declaratur à verbis specialibus, & in prima generali filiorum mentione fæminæ, non continebuntur, vt passim à doctoribus receptum est, & siue precedant, siue sequantur verba specialiora declarant, & restringunt generaliora. Neque obstat quod verba conditionalia, non disponant, nam preterquamquod in maioratibus disponunt, & ideo ex illis masculi, ex masculis si alius non fuissent vocati in presentiarum, ex vi verborum conditionalium censerentur, & quia in præcedenti vocatione exprimuntur, & in conditione positi sunt de illorum vocatione non est dubitandum, illa enim verba conditionalia, & disponunt, & absque dubio declarant receptissima enim est doctorum sententia verba conditionalia, quando specialiora, & certiora sunt dispositiua declarare quod indubitatum est, quando de eisdem personis loquuntur, & verius receptiúsque esse doctores profitentur. Nulla enim melior interpretata, & glosa quam ipsius disponentis, & hęc declaratio literalis est, & occulis legitur. Et sic doctores concordantur, & si aliqui contrarium asserunt loquntur quando conditionalia verba sunt generaliora, & in ampliori forma quam dispositiua, vt grauatus minus grauetur, vel de diuersis personis, vel quando aliquam in se non habent repugnantiam, quod secus est in casu nostro, vnde illa verba dispositiua tertię clausulę (descendentes varones) cum ipsi idem statim pro transitu, & introductione ad quartam subsistentem enuntientur, & in conditione ponantur determinatè cum qualitate descensus per lineam masculinam ab istis conditionalibus specialioribus limitantur, & declarantur, Et cum eadem qualitate necessario intelliguntur ne ęedem personę contrarias qualitates habere dicantur, & quos illo generali, & ambiguo sermone enunciauit eosdem, cum nota dicti descensus masculini expresius se ipsum declarando demonstrauit nam vna pars scripturę aliam declarat, non per viam correctionis, nec repetitionis, sed declarationis, & excludendæ inclusionis dictæ generalis, ac dubiæ vocationis, quem effectum verba vnius partis scripturę certæ, & specialis ad aliam generalem, & incertam absque violatione, imo de necessitate literæ, iura & doctores operari debere ostendunt, & tunc qualitatem vna parte expressam ad alteram, vbi ommissa non tamen exclusa apparet trahi imo comprehendi per modum declarationis dum tamen in vtraque parte de eisdē personis quamuis in diuersis orationibus dispositio loquatur concordia doctorum inter Abbatem, & Annaniam, absque aliqua contradictione admittit, idque suadere etiam videntur eadem conditionalia, verba apposita in clausula substitutionis don Ludouici, vt post vocationem filij maioris masculi, & illius descendentium masculorum sequitur (& si caso fuere el dicho señor don Luys muriere sin hijos ni descendientes dellos, varones legitimos,

timos, o sus hijos, o descendientes varones murieren sin hijos, ni descendientes varones por linea masculina legitimos, que en tal caso, todos los dichos bienes, &c. bueluan y peruengan en la Illustrissima señora doña Maria de Pomar Duquesa de Villahermosa, &c.) Ex quorum verborum serie, & contextura, & vi ac proprietate conditionis declaratiue manifeste apparet, solos filios & descẽdentes masculos per lineam masculinam excludere domnam Mariam, & statim illi deficientibus ipsam, & suos filios & descendẽtes, etiam per lineam masculinam ad successionem fuisse inuitatos, quod amplius suadetur, ex vi illius verbi (en tal caso) indicatis quod incontinẽti alio non expectatio finitis masculis, ex masculis domna Maria, & sui descẽdentes succedant, prædicta enim verba restrictiua esse, & extremitatem tẽporis & casus denotantia constitutissimum est, & si mors aliorũ esset expectanda non esset domna Maria in tali casu expresso ad maioratum vocata, nec litera, nec mens disponentis obseruaretur. Vt ergo illa obseruetur, nec verba expressa lædantur contrarietatisque, & repugnantię vitandę causa in prima linea don Ludouici masculos, ex masculis tantum vocatos esse dicẽdum est, & in secunda domnæ Mariæ, similiter illius descendentes masculos per lineam masculinam substitutos, & in conditione positos ad introductionem tertiæ substitutionis filiorum, ac descendentium masculorum aliarum filiarum don Santij, vbi etiam ipsarum filios, & descendentes eisdem verbis eodemque sermone quo in linea don Ludouici substituit, & eosdẽ sub prædicta qualitate descensus per lineam masculinam (vt dictum est) in conditione possuit adiecto verbo (siempre) quod ęqui posset illi (en tal caso) & se ipsum magis declarando in omnibus pręcedentibus substitutionibus solum vocauit descendentes masculos per lineam masculinam, ad oculum demonstrando vniformem in illis tribus lineis substitutionem fuisse. Ideoque cum illa conditione defectus omnium anteà vocatorum habẽtium prædictam qualitatem, & cum illo verbo generali (siempre que faltaren) ad quartam substitutionem gradum fecit, quia ad introductionem substitutorum necessarius est defectus institutorum, & inclusio vnius exclusio est alterius, & è contra ex prædilectione, & congrua dispositione, vnde qui prius vocantur, in conditione ponuntur, vt ijdemmet includãtur & excludant, & reciprocantur prius vocati, & in conditione possiti: & quo ordine præsubstituti sunt gradatim in conditione ponũtur, ad sequentium introductionem, vt absque intermissione inter vocatos prius eosdẽque in conditione positos, & sequentes successio continuetur in maioratibus, & perpetuis gradualibus fideicommissis in quibus iste est, naturalis, & gradualis cursus, & nostri maioratus verus necessarius, & literalis intellectus, neque pro euitanda absurdo contrarietate, seu in compatibilitate à



nobis

nobis ſupra ponderata admittenda eſt, ſuppletio alterius conditionis á do mino de Cetina adinuenta aſſerente pro introductione quartę ſubſtitutionis non ſolum adeſſe illam conditionem defectus deſcendentium per lineã maſculinam, verum etiam alium deffectus deſcendentium per lineam fœmeninam. Nam cum hi ſint etiam antea vocati prout ipſi opinantur, hanc etiam conditionem intrinſecam, quam legalem vocãt conſtituunt, & ideo duplicem conditionem habere quartam ſubſtitutionem aſſeuerant, cum in litera tantum, vnam & ſimplicem conditionem deffectus deſcendentiũ maſculorum per lineam maſculinam inueniamus alteram autem imaginariam extenſiuam, & ſuppletoriam eſſe nemo, vel mediocriter eruditus negare poterit, extenſionem autem, & ſuppletionem maximè in conditionali bus vltra ſuam ſpecificam formam iura, & fori noſtri vehementer aborrent neque poteſt dici conditio intrinſeca, niſi illa quæ orirerur ex certa clara, & indubitata prçcedenti vocatione; verbi gratia, in caſu noſtro ſi in tertia ſubſtitutione ſpecifice, ac nominatim vocati fuiſſent deſcendentes, ſiue per lineam maſculinam, ſiue fœmeninam; certe quamuis poſtea conditio ſtrictiori ſermone, nempe deſcenſus maſculini tantum concepta fuiſſet, compelleremur pro euitanda contrarietate, illam aliam conditionem admitere ne aliquid prçcedenti ſubſtitutione certę clarę, & ſpecificę detraheretur. Ad vero in caſu noſtro, multo aliter diuerſoque modo ſubſtitutio concepta eſt, ſub appellatione ſcilicet deſcendentium maſculorum, non expreſſa alia qualitate, vnde tanquam obſcura, & ambigua declaratione indigebat, & ideo ſtatim verbis conditionalibus ſpecificis, & certis declarata, & determinata extitit, cui declarationi, & literali expoſitioni, ac determinationi ſtandum eſt, & pro contrarietate vitanda deſcendentes maſculos ex maſculis tantum vocatos eſſe fatendum. Quod ex eo etiam comprobatur, nam pariformiter poſiti ſunt in conditione deſcendentes don Ludouici domnę Marię, & aliarum filiarum don Santij, & in linea domnę Marię ſuppletio alterius imaginarię conditionis fieri non poteſt, nec etiam in linea don Ludouici, idem ergo ex regula pariformis determinationis verbis relatiuis, & cõditionalibus & alijs ſupradictis de vocatis in tertia ſubſtitutione pro excluſione domini de Cetina, iudicandum eſt, & vt omnes nebulę de medio tollantur, & veritatis radijs illuſtrentur. Non obſtat vnicum, ac ſingulare fundamentum domini de Cetina, ex proprietate verborum deſumptũ quod appellatione deſcendentium maſculorum etiam à fœmina deſcendẽtes comprehenduntur, quia & maſculi, & deſcendentes ſunt, facile enim hoc diluitur, ſi attendatur quod verba ad voluntatem declarandam adinuẽta fuere, & verba menti non mentem verbis in ſeruire, ideoque vbi de voluntate, ac mente diſponentis, ex alijs eiuſdem ſcripturę verbis dilucide

conſtat

constat à proprietate illorum recedentium esse quis ignorat; nam cum manifestissimus est, sensus testatoris verborum interpretatio melior sensu existere, non potest & verba improprianda omnemque aliam interpretationem sumendam, pro absurdo & multo magis pro contrarietate, & repugnantia vitanda passim iura & doctores docent, & sensum etiam in proprium recipiendum maximè, pro verbi ambigui intelligentia, & declaratione, vt igitur in casu nostro contrarietas, & repugnantia tollatur, si omnem contexturæ dispositionem attente pro veritate indaganda, & non vnicum verbum, & illud incertum, & æquiuocum attendamus, sed specialiora, & magis certa diligenter ponderemus, solum masculos ex masculis in tertia substitutione esse comprehensos in dubium reuocari, non poterit: & hoc est ad cartam iudicare litereque tenaciter inhærere, quid quod nec proprietas verborum destruitur proprie enim appellatione descendentium masculorũ veniunt masculi ex masculis, & licet in abstracto etiam descendentes ex fœminis potuissent comprehendere super quo de præsenti, cum necessarium non sit nostrã censuram, non interponimus in nostro autem concreto ex supradictis secundum rigorem cartæ, ad vnam tantum speciem coarctãtur, alia autem species non in totum excluditur, sed differtur ad suum casum postmodum in quarta substitutione inclusum in illa enim vocantur descendentes masculi, per lineam fœmeninam filiarum don Santij, & ita etiam domini de Cetina, suo casu vt postea demonstrabimus: quia postquam nominauit don Ludouicũ domnam Mariam, & suas sorores (non pro illarum vocatione, sed in expressione conditionis deffectus suorum descendentium) statim prosequitur dicendo (bueluan y peruengan dichos bienes en hijas, o descendientes de ellas legitimas, è del dicho señor don Luys,) quod verbum (dellas) secundum rationem recti sermonis necessario refert sorores don Ludouici, sicut & ipsum don Ludouicum, de quibus immediate fuit facta mentio, & sensus est, quod bona perueniant in filias, aut descendentes filiarum don Santij, eiusque neptes, & descendentes, & nullatenus vocantur filiæ primi gradus don Santij, quales fuerunt domna Anna, & domna Catherina, tum quia verbum (dellas) determinat illas filias quarum filiæ, & descendentes ordine primogenituræ vocantur, & sic in neptibus incipit substitutio ex rigore litteræ (alias verbum filias) fuisset indeterminatum, nec diceret cuius debuissent esse dictæ filiæ, vt ergo declararet cuius essent illæ filiæ substitutæ postquam nominauerat don Ludouicum, domnam Mariam, & alias sorores vocauit statim (hijas, o descendientes dellas) hoc est don Ludouici, & suarum sororum quas de proximo nominauerat, & ne iterum illas repeteret retulit, cum adiectiuo (dellas è del dicho señor don Luys) aliter non haberet sensum, & etiam verbum illud (dellas) fuisset impertinens, nec aliquid operaretur,

retur, & debuiſſet dicere filias non quidem dellos, ſed filias don Santij, ſi illas vocare voluiſſet,quia ſicut in tertia clauſula incepit ſubſtitutio a filijs maſculisprædictarum,ſic in quarta a filiabus:primo conſtituens lineam maſculinam domnæ Annæ,& domnæ Catherinæ,& illa finita,ſecundo loco lineam fœmeninam ipſarum ſicut enim à maſculo oriri poſſunt, duæ lineæ altera maſculina à filio altera fœmenina à filia eiuſdem maſculi, ita etiam à fœmina habente filium, & filiam diuerſe procedunt lineę,prout in caſu noſtro quod euidentius demonſtratur,ex eo quia don Santius, in prædictis pactis nuptialibus,poſt maioratus cõſtitutionẽ, ſibi reſeruauit ſex mille libras Iacenſes pro dotatione prædictarum ſuarum filiarum, ob quam dotationem nihil mirum,quod eas prætermiſerit, & quia primo ſubſtituit don Ludouicum, & eius deſcendentes,& poſtea domnam Mariam prædilectam,& illius deſcendentes,deinde aliarum filiarum filios,& deſcendentes maſculos, nec vero ſimile erat hos omnes, & has tres lineas defecturas ſuperuiuentibus prædictis filiabus don Santij,ex naturali curſu,& quia de illarum dotatione iam curauit amplius illarum non meminit,ſed de filiabus & deſcendentibus illarum,ideoque dixit,vt bona peruenirent (en hijas,o deſcendientes dellas & del dicho ſeñor don Luys) & hæc intelligentia præciſſa & literalis eſt, præterea prædictum verbum (dellas) poſitum eſt immediate,poſt filias aut deſcendentes, & filiæ & deſcendentes, vno eodemque verbo determinantur,& ideo tam illæ filiæ quam deſcendentes ab eiſdem filiabus procedunt, ex vi & proprietate vniuſmet determinationis,vt pariformiter, & determinet ſecundum tritas iuris regulas, & corrobatur ex ſequenti verbo (& del dicho ſeñor don Luys) cuiuſquidem filiæ,& deſcendentes in indiuiduo vocantur, & ita etiam ſuarum ſororum ſicut etiam antea de proximo illius, & illarum æqualem mẽtionem fecerat aliàs,nec gradus, nec determinatio,nec verba conuenirent,& verbum(dellas) non fuiſſet recte ſituatum,ſi non debuiſſet,prout debet refferri neceſſario,ad filias don Santij, & ita ſubſtitutio incipit in filiabus,ſeu deſcendentibus don Ludouici domnæ Annæ, & domnæ Catherinæ,vt includantur,nec abſque vocatione remanerent iſtorum filiæ, & deſcendentes ſi extarent tempore adimpletæ conditionis,&quia euenire poterat,vt non reperirentur filiæ,ſed deſcendentes,ſiue maſculi,ſiue fæminæ don Ludouici,aut ſuarum ſororum dixit(o deſcendientes dellas)non præciſſe deſcendentes filiarum illarum filiarum don Santij, ſed quod ſint quomodocumque deſcendentes don Ludouici, & ſuarum ſororum tam maſculi ex fœminis quam fæminę,cum ſexus & gradus prærogatiuà ſeruato ordine primogenituræ inter dictorum deſcendentes, ſemel enim tamen retulit verbum (dellas) vt prędictum eſt,& hæc eſt gramaticalis literalis, & verus intellectus huius quartæ clauſulæ,vnde euidenter colligitur in illa

vocatos

vocatos esse masculos,ex fœminis descendentes à domna Anna,& alijs sororibus don Ludouici,Nullo ergo modo ipsi descendentes masculi,ex fœminis vocati fuerunt antea in tertia clausula propter vim , & naturam discretiue vocationis,cuius argumentum,tamquam validum , & efficax semper à communi doctorum schola,& aSenatibus receptum & aprobatum est vt qui in separata speciali,i& discretiua vocatione continentur in anteriori generali non includantur,sed virtute specialis,& separatæ à generalitate detrahantur pro euitanda superfluitate,& incompatibilitate , ne ipsemet sibi metipsis substituti intelligantur,& quia species derogat generi,& alijs multis rationibus à doctoribus perpensis,ideo ergo cum indefectum vocatorũ in tertia clausula vocatos reperiamus,in quarta descendentes scilicet masculos ex fœminis sequitur necessario,non esse præsubstitutos,in tertia, nec facere conditionem exclusionis eorundem, ac proinde necessario infertur dominum de Cetina , filium domnæ Sperantiæ,neptis domnæ Annæ de Pomar non esse vocatum,nec inclusionem habere in prædicta tertia clausula,vt minus recte & contra literam,& literales rationes prætendit,ex quibus infertur regulandam esse succesionem,hanc iuxta dispositionem quartę clausulæ in qua vocate sunt filiæ , aut descendentes filiarum don Santij, ordine succesiuo,& primogenituræ,& non simul vbi duplex reperitur vocatio prima quidem specialis filiarum,altera generalis,& collectiua descendentium,& sic filiæ tamquam primo nominatę prædilectę , & primum gradum obtinentes,& specialiter vocate præferuntur descendentibus , & sicut in tertia substitutione,ac linea masculina,primo fuerunt vocati filij masculi,& postea descendentes filiæ maioris,quæ fuit domna Anna similiter in quarta,& linea fœminina primum locum obtinerit filiæ secundum autem descendentes tam masculi,quam fœminę ordine primogenituræ,& graduali vna tantum persona succedente,cum prælatione tamen masculorum , cũ ergo domna Blanca fuerit filia maior , & primogenita domnę Annę ipsa constituit caput & principium lineę,& vocatorum in quarta substitutione & acquisiuit ius primogeniturę,& succedendi sibi,& omnibus suis descendẽtibus existẽtibus in sua linea. Nã in ista & in omnibus clausulis & substitutionibus maioratũ cõstituit dõ Sãtius,& ideo pręcepit,vt succesio deferatur ordine primogeniturę, quod idẽ est, ac si dixisset quod constituebat maioratũ,hęc enim synonima suntde natura,nãq.maioratus est vtprimogenitus,siue primogenita statim atq. nascitur primogeniturę ius acquiret, & propriã primogenitorũ lineã cõstituat,& ab ipsa natiuitate habet ius radicatũ,& immutabile succedẽdi,primo loco & nõ solũ se ipsũ includit , sed excludit perpetuo secũdo genitũ,& cęteros nęq.obstat,quod moriatur antequam actualiter successerit:sufficit enim , quod potentialiter,vel in habi

tu licet non effectiuè succesionem acquisierit, nam suum proprium ius primogeniturę, & facultas, seu potentia succedendi iure primogeniti continuatur in omnibus suis descendentibus, & sua linea (quę ideo appellatur linea primogeniti) & hoc iure transmissionis, seu subrrogationis, vel representationis, vt succedunt gradualiter descendentes illius lineę, & filius sub ingrediatur locum patris primogeniti, qui non fuit succesionem adeptus, quia casus non venit, & quandiu super sint descendentes de linea primogeniti in quocunque remoto gradu existentes inter illos continuatur semper succesio in infinitum, nec fit transitus ad aliam secundam, siue posteriorem lineam, & nisi omnes ex dicta linea pręcedentes dificiunt, isti descendentes filius, vel nepos primogenitę licet succedat ex propria persona, cum vnusquisque primogenitus habeat propriam vocationem representat, tamen personam parentis, idest qualitatem eius personę, & in illius locum subrrogatur ad finem succedendi in eodem casu, & loco atque succesisset primo genitus si mortus, non fuisset, & ideo nepos pręfertur patiuo vbicunque succeditur iure primogeniturę secundum receptissimam doctorum sententiam à foro & praxi huius Regni aprobatam. Vnde necessario infertur, quod si tempore mortis don Caroli de Heredia, vltimi masculi ex masculis; & vocatorum in tertia clausula, & adimpleta etiam conditione vocatorum, in quarta superuixisset domna Blanca de Mendoça, filia primogenita domnę Annę, tamquam primo vocata, & ipsa absque dubio succesisset, & in illa incepisset succesio lineę fœmeninę ad quam de lata fuit, & proin de pręmortua dōna Blanca, iure primogeniturę eius locū gradū, & potētia succedendi obtinens don Iustus filius primogenitus succesit, ad primū locū succedēdi habet, & pręfertur domini de Cetina, cū eadē ratione qua maioratus institutor prętulit filiū primogenitū eius etiā liberos prętulisse secūdū iuris scripti rationē sentiendus est. Nā quāuis ambo descēdētes, sint domnę Annę, don Iustus est descendens á filia primogenita, & ius primogeniturę vocatorū in hac clausula cōsecutus est, & ita in hac clausula secundū quā hodie debet regulari succesio prelationē lineę, & gradus habet respectu domini de Cetina, qui à dōna Sperātia nepte domnę Annę descendit, & sicuti in concursę istarum fœminarum pręlata fuisset domna Blanca, ipsi domnę Sperantię remotiori, & vocate nomine descendentium post filias, ita pariter pręfertur don Iustus domini de Cetina, rationibus prędictis. Nec attendenda est, linea don Bernardini, ipse enim vocatus fuit, & constituit in tertia clausula, lineam masculorum ex masculis tantum, quę extincta fuit, & ideo ad lineam domnę Catherinę de Pomar, in Carolum eius filium translata fuit succēsio, & post eius obitum locus factus, fuit succesioni vocatorum in quarta clausula, in qua don Bernardinus non est vocatus, sed

ſed domna Blanca,eius ſoror tanquam neptis & filia filiarum don Santij,& primogenita, & non vocatus, non poteſt conſtituere lineam vocatorum. Ideoque ſi ſubſtitutus eſt dominus de Cetina,eſt tanquam deſcendens ex linea domnę Sperantiæ vocatę nomine deſcendentium,& non tamquam ex linea don Bernardini,qui nec ſubſtitutus reperitur,nec lineam conſtitui, & ſic reperitur in remotiori linea, quæ primo attenditur in maioratibus, & etiam remotior in gradum don Santio, domnæ Annæ, & don Carolo de Heredia vltimo ſucceſſori,iuris miniſterio. Et his omnibus proximior eſt, & inpotiori linea conſtitutus don Iuſtus,cum ſit in proximiori linea fœminina etiam reſpectu domnæ Annæ,quæ auia eſt don Iuſti, & proauia domini de Cetina, necnon & reſpectu inſtitutoris maioratus,atque etiam dō Caroli,& ita merito & neceſſario præfertur ad ſucceſsionem, & eius propoſitio recipitur ex prædictis,& aliàs Attentis Contentis. Alius vero ex dictis dominis deRegio conſilio fuit voti, & opinionis quod Attentis Contentis &c. Tenetur & debet pronuntiari,& mandare fieri contenta in propoſitione Ioannis Hieronymi de Abenya,& Hieronymæ Liçarbe coniugū principalium Gaſparis Sancho procuratoris cum expenſis iuribus ſuis durantibus,& eis finitis contenta in propoſitione egregiæ domnæ Franciſcæ de Bolea Comitiſſę de Fuentes, principalis Didaci Pilares procuratoris, cum expenſis iuribus ſuæ viduitate,& ea durantibus,& eis finitis contenta in propoſitione don Iuſti Perez de Pomar Torres, & Mendoça principalis Hieronymi de Abenya,& Didaci Pilares procuratorum præſta prius reſpectiue cautione forali,alijs propoſitionibus repulſis reſeruatis iuribus reſeruari ſupplicantibus neutram partium in expenſis demptis prædictis taxandis condemnando cætera ſupplicata locum non habere. Ex eo, & aliàs venit recipienda propoſitio dictorum Hieronymi de Abenya, & Hieronymæ de Liçarbe coniugum ex motiuis de ſuper prędtitis per dictos tres dominos deRegio conſilio illius reſpectu,& propoſitio dictæ egregiæ domnę Franciſcæ de Bolea Comitiſſæ de Fuentes, modis & formis quibus per ea ſupplicatur videlicet penſiones,ſibi debitas ratione ſuæ viduitatis eſſe computandas à die mortis don Caroli de Heredia Comitis de Fuentes, ſui mariti,& non à die oblate appellitus pręſentis apprehenſionis, vel oblationis ſuæ propoſitionis,quia conſtat ex capitulis matrimonialibus,cum dō Carolo de Heredia initis & concordatis pro eius parte exhibitis conuentum inter eos fuiſſe,& contractum eius viduitatem fore, & eſſe debere in quantitate decem mille ſolidorum tantum interim dum don Carolus de Heredia,non adquireret Comitatum de Fuentes, vel aliam dictionem ſibi dominium,alicuius alterius Baroniæ,quia eo caſu voluerunt viduitatem fore,& eſſe debere pro quantitate mille,& ducentarum librarum pro cuius

ſecuritate,

ſecuritate,& in euentum illius dictus don Carolus obligauit,ſua bona habita,&habenda debite,& iuxta forum ratione cuius hipotecæ,& clauſurarum apoſitarum in dictis capitulis matrimonialibus competit, ei ius recuperandi omnes penſiones decurſas à tempore mortis dicti don Caroli,ex omnibus ſuis bonis habitis,& habendis tanquam hipothecatas ad ſolutionem illarum cum conſiſtat in quantitate ad inſtar penſionum cenſualium, quorum penſiones exhiguntur,& recoperantur de bonis,in eis hipothecatis ab integro decurſas a die ceſſationis ſolutionis illarum, & hoc iure vtimur, & ſine dubio praticatur in quibuſcumque proceſsibus apprehenſionum cumque pēſiones debite pro viduitate conſiſtente in quantitate tanquam annui reditus regulantur ad inſtar penſionum cenſualium,& nulla diferentia ratio poſſit inter eos aſignare merito decurſarum penſionum pro viduitate domnæ Franciſcæ debent computari à die mortis don Caroli,& non à die oblationis, ſuæ propoſitionis, quia non minus bona apprehenſa ſunt hipothecata pro penſionibus decurſis ante huiuſmodi apprehenſionem quam pro decurſis,poſt eam & in poſterum decurrendis,& ſic illas ei ſoluendas eſſe debere à die mortis don Caroli proculdubio videtur de bonis apprehenſis attento,quod don Carolus habebat ius quæſitum ad Baroniam de Sigues, & eius erat declarandus dominus in proceſſu apprehenſionis,in Curia Iuſtitiæ Aragonum vigore vinculorum don Santij de Pomar prout in præſenti proceſſu,ita quoque declarandum fore per omnes dominos Conſiliarios,& per me etiam videtur,quibus non obſtant, quod ei obijciuntur de adepto prius Comitatus de Fuentes per don Carolum,vt ceſſarere debeat obligatio recuperandi dictam viduitatem de bonis in præſenti proceſſu apprehenſis,quia ſatis conſtat Comitatum de Fuentes,propter res alienam,& multiplicitatem creditorum,non eſſe ſoluendo,nec toto tempore quo vixit don Carolus,& fuit Comes de Fuentes,& poſt eius mortem domnam Franciſcam non potuiſſe recuperari etiam penſiones, ſibi debitas pro quantitate prioris viduitatis decem mille ſolidorum inter eos ſtipulate quanto minus penſiones ſiue debitas pro viduitate meliorata ex quibus & aliàs &c. Et reſpectu propoſitionis dicti don Iuſti Perez de Pomar, Torres & Mendoça,quod debet fieri contenta in eadem ex motiuis de ſuper præſtitis per dictos tres dominos Regios conſiliarios de ſuper nominatos modis, & formis in eiſdem contentis expreſatis, & narratis prout in eis continetur. ALTER vero ex dictis dominis de Regio conſilio de ſuper nominatorū fuit votò,& opinionis quod Atten. Conten. &c. tenetur & debet pronuntiari,& mandare fieri contenta in propoſitione Ioannis Hieronymi de Abenya, & Hieronymę de Liçarbe coniugum principalium Gaſparis Sancho, procuratoris,cum expenſis iuribus ſuis durantibus,& eis finitis contenta in

propoſi-

propositione domnæ Franciscæ de Bolea, Comitissæ de Fuentes, principalis Didaci Pilares procuratoris; cum expensis iuribus, suæ viduitate & ea durantibus, & eis finitis contenta, in propositione don Ioannis de Liñan, & Heredia principalis, Didaci Antin procuratoris alijs propositionibus repulsis reseruatis iuribus, & reseruari supplicantibus neutram partium in expensis demptis prædictis taxandis condemnando cætera supplicata locum non habere. Ex eo, & aliàs recipitur propositio dictorum Ioannis Hieronymi de Abenya, & Hieronymæ de Liçarbe, ex motiuis præstitis illorũ respectu per dictos tres dominos Consiliarios, de super mentionatos. Et proposito domnæ Franciscæ de Bolea Comitissæ de Fuentes, ex motiuis præstitis de super per vnum ex domini de dicto Regio Cõsilio, Propositio autẽ dicti dõ Ioannis de Liñã & Heredia, ex eo & aliàs recipitur, eius, quia constat de legitima inclusione, & de meliori iure domini de Cetina dõ Ioãnis de Heredia, quã dõ Iusti, atentis & cõsideratis vinculis, & substitutionibus contẽtis & apositis in capitulis matrimoniabus dõ Ludouici Perez de Pomar, cũ domna Alduncia de Gurrea, per don Santium Perez de Pomar, patrem dõ Ludouici, & dominum Baroniæ de Sigues, & Rasal & aliorum bonorum in presenti processu apprehensorum, quæ per dictum don Santium fuerunt donata post eius mortem don Ludouico contemplatione matrimonij contrahendi, per eum cum dicta domna Alduncia, cum pactis conditionibus vinculis, & substitutionibus tenoris sequentis. Que le da dichas varonias dicho don Sancho al dicho don Luys, para despues de sus dias, con tal empero que no pueda agenar, ni disponer de dichos bienes, sino en hijos de legitimo matrimonio, Barones de maior en maior, guardando orden de primogenitura, y que despues del, dichos bienes vengan y peruengan en sus hijos, y descendientes varones de legitimo matrimonio perpetuamente, siempre de maior en maior, seruando orden de primogenitura, que no sean religiosos, ni de sagradas ordenes furiosos, ni mentecaptos, y que muriendo dõ Luys sin hijos ni descendientes varones de legitimo matrimonio, o sus hijos, o descendientes varones por linea masculina de legitimo matrimonio procreados, que en tal caso vengan dichos bienes a la Duquesa doña Maria siendo viua, y despues della succedan sus hijos varones legitimos y de legitimo matrimonio de mayor en mayor seruando orden de primogenitura, y los descendientes dellos varones por linea masculina de legitimo matrimonio, seruando orden de primogenitura, con las mismas condiciones, y que faltando, y siempre que faltaren hijos varones de la Duquesa, y descendientes della varones por linea masculina de legitimo matrimonio, y siempre que faltaren descendientes varones del dicho don Luys, como de la dicha Duquesa si de alguna de las otras hijas de legitimo matrimonio del di-

 cho

cho don Sancho huuiere hijos varones de legitimo matrimonio passe la succesion de todos los bienes, a los tales hijos varones, a saber es de la mayor dellas, y faltando aquella en los descendientes de la segunda, y assi de grado en grado entre los descendientes de dichas hijas, y despues dellas a sus descendientes varones perpetuamente antes que a muger alguna, viuiendo en vno solo successor guardando orden de primogenitura con las calidades arriba dichas, y de lleuar nombre y armas de los Pomares, y que faltando y siempre que faltaren descendientes varones, por linea masculina de legitimo matrimonio de don Luys, y de la Duquesa, y de todas sus hermanas peruengan dichos bienes en hijos, o descendientes de dichas hijas perpetuamente en vn solo successor, guardando orden de primogenitura prefiriendo el varon a la hembra con dichas condiciones y calidades. Præsuposito etiam, quod in facti contingentia don Ludouicus, & domna Maria, ducissa ville formosæ deceserunt, sine filijs masculis, & quod per eorum mortes sine filijs masculis aperta fuit, via tertię substitutioni, & vocationi filiorum masculorum aliarum filiarum don Santij, quę fuerunt domna Anna primogenita, & domna Catherina, secundo genita, ex qua nupta cum don Georgio de Heredia, procreatus fuit don Carolus de Heredia, Domna Anna; vero quæ etiam nupta cum don Francisco de Mendoça, habuit in filium don Bernardinum de Mendoça, maiorem natu, qui procreauit domnam Sperantiam, & don Bernardinum minorem, & domna Sperantia ex domino de Cetina, don Ioanne Liñan & Heredia procreauit don Ioannem Liñan & Heredia, collitigantem cum don Iusto de Torres, filio domnæ Blancæ de Mendoça, quę etiam fuit filia domnæ Annæ de Pomar, & soror don Bernardini primogeniti. Suposito etiam quod vigore tertiæ substitutionis orta fuit contentio inter dictum don Bernardinum maiorem, & don Carolum de Heredia & Pomar, filium domnæ Catherinæ de Pomar, & don Georgi de Heredia, super succesione huius Baronię, & bonorum apprehensorum, & in ea lite & causa obtinuit don Bernardinus maior tanquam filius primogenitus domnæ Annę, & quod per mortem don Bernardini peruenit dicta succesio ad don Bernardinum minorem eius filium, & quod per huius mortem sine filijs iterum vigore tertiæ substitutionis fuit orta lis super eademmet succesione inter dictum don Carolum de Heredia, & don Ioãnem de Liñan, & Heredia dominum de Cetina in quodam processu apprehensionis horum bonorum in Curia Iustitiæ Aragonum actitato in quo obtinuit dominus de Cetina, & eius propositio recepta fuit super huiusmodi succesione, reiecta, & repulsa propositione don Caroli de Heredia per quem fuit appellatum ad hanc Regiam Audientiam, & pendente dicta

appellatio-

appellatione, & mortuo donCarolo de Heredia, contigit eandem varoniã & eademmet bona in præsenti processu iterum, & de nouo apprehensa fuisse ad instantiam Ioannis Hieronymi de Abenya. In quo contrariȩ propositiones fuerunt oblatȩ per dominũ de Cetina & per don Iustũ super successione horũ bonorũ. In qua necessariũ fuit dispitare de viribus sentẽtiæ latȩ in Curia Iustitiȩ Aragonũ, & an recte denegata fuerit successio dõ Carolo de Heredia Comiti de Fuẽtes, & ei in ea prȩlatus dominus de Cetina. In quo magis videtur deferendam fuisse successionem don Carolo, quem domino de Cetina vigore tertiȩ substitutionis prout etiam ita iudicandum esse debere visum fuit quatuor alij dominis Consiliarijs in quorum sententiam ego quoq; concurro ex ijsdem motiuis per eos prȩstitis quibus ego nõ nec vlla alia statim subiungã. Superest nunc videre quis eorum sit prȩferendus in hac successione cum vterque suam vocationem deducat ex his vinculis, & substitutionibus tanquam descendentes masculi ex don Santio, & filiabus illius. Tota autem resolutio huius controuersiȩ consistit in discernendo in qua clausula, & substitutione vnusquisque eorũ censeatur comprehensus & vocatus, & an casus, suæ vocationis venerit, per mortem don Caroli vltimi filij masculi ex filiabus tertiæ substitutionis. Et proculdubio extra omnem aleam est, donIustum in quarta clausula, & substitutione censeri vocatum inter descendentes ex filiabus, tanquam filium domnæ Blancæ, quȩ est vna illarum. Vnde inferunt, quod cum dominus de Cetina, non descendat immediate ex filia, sed ex domna Sperantia mediante don Bernardino maiore, ideo in ea quarta clausula contineri negant, seu saltim vigore alternatiue ( de qua statim dicemus ) esse don Iustum præferendum, dominus autem de Cetina, prȩtendit quod etiam si in hac quarta clausula contineatur in verbo, (y a los descendientes dellas) esse prȩferendum don Iusto. Quanto magis, quod ipse dominus de Cetina deducit suam vocationem ex tertia clausula, & vigore illorum verborũ ( y a sus descendientes varones,) quorum appellatione ipse vere, & realiter continetur & comprehenditur, cum sit vere masculus & descendens, ex prima linea radicata in don Bernardino maiore, & continuata in don Bernardinũ minorẽ, & quod cum in eo conseruetur, ea prima linea, & nullus alius in ea reperiatur masculus præter eum, & sic cum habeat prȩrrogatiuam gradus & lineæ in primogenitura, & sicut ea de causa fuit prælatus don Carolo in secunda linea constituto, quia non poterat fieri transitus de vna linea ad aliam in successione nisi prima in totum finita, & non superstite aliquo de cõtentis, in ea. (Qua ratione tresdominiLocumtenẽtes votarunt pro domino de Cetina) sic quoque & eadem ratione prȩferendum esse donIusto in hac successione prætendit. Et licet verum sit attento

tenore

tenore, & serie verborum tertię clausulę dominũ de Cetina, in ea contine ri, & appellatione descendentium masculorum comprehendi, in quo recte tres domini Locumtenentes sensisse mihi videntur (quibus ego, in hoc libenter annuo & adhereo, minime tamen in ratione & motiuis, per eos pręstitis, videlicet vigore transpositionis illorum verborum, (y despues dellos a sus descendientes varones) vt immediate continuanda sint post illa verba Passe la dicha successiõ de todos los bienes a los tales hijos varones de dichas hijas subiungendo illis immediate, & legendo, y despues dellos a sus hijos descendientes varones, in quibus verbis expresse continetur dominus de Cetina, & eo existente in prima linea, non potuisse fieri transitũ, ad secundam, in qua don Carolus continebatur. Nam series verborum illorum, passe la dicha succesion, a los tales hijos varones de dichas hijas, es a saber de la mayor dellas, y faltando de aquella en los descendientes de la siguiente, y assi de grado en grado entre los descendientes de dichas hijas, expresse repugnare videntur pręd)cto sensui, & intellectui. Et ex his verbis, & eorum contextura aperte euincitur don Santium voluisse pręferre et anteponere filios masculos primi gradus filiarum suarum, & eorum filios masculos, descendentibus masculis per lineam fœmeninam ex filiabus suis, & sic nepotibus, in quo mihi rectius sensisse videntur, duo domini Locumtenentes, licet non in ratione, & causa qua moti fuerunt scilicet pro conseruanda, quodam modo agnatione dõ Santij. Qui nihil minus voluisse videtur, quia agnatio solum in vocatione don Ludouici, & suorum descendentium masculorum vere, & realiter poterat conseruari, tam per masculos ex masculis, quam per fœminas quę semper sunt de agnatione quandiu nubendo non transeunt in alienam familiam, quia tunc finis agnationis sunt: & ita pręter lineam don Ludouici in alijs substitutionibus atendi non potuit agnatio, intercalando statim post don Ludouicum & suos descendentes masculos domnam Mariam, & eius descendentes masculos, & deinde vocando filios masculos aliarum filiarum suarum de gradu in gradum seruato ordine primogeniturę. Nã eo ipso quod in succesione interponuntur fœminæ, etiam si vocentur earum descendentes masculi per lineam masculinam, agnationis conseruatio considerari non potest, neque vera, neque artificialis. Quæ de solo nomine seruit cum per extraneos & masculos ex fœminis, & per ipsas met fœminas conseruari possit: puta in grauamine deferendi nomen, & arma institutoris maioratus, & fideicommissi. Neque enim pro conseruatione agnationis præsumitur ex sola vocatione descendentium masculorum, in quo opinio Ricardi, & sequatium suorum cõmuniter damnatur, non enim verum est, præter agnationem & eius conseruationem non posse dari aliam causam, quia institutor maiora-

tus

tus,vel fideicommissi potuit moueri propter solam masculinitatem, vel aliás causas,nisi expresse apareat mortum fuisse,ea de causa & qui hoc prętendit probare debet.Et ita dicendum videtur in hac causa don Santium, in tertia clausula solum atendisse, & voluisse præferre filios masculos, ex suis filiabus nepotibus, ex eis descendentibus, vt primum deferretur successio per omnes filios masculos filiarum suarum de gradu in gradum seruato ordine primogenituræ & aparet ex illis verbis (en los descendientes dela siguiente de grado en grado) & quod eis deficientibus deferretur successio ad nepotes ex filiabus illorum descendenties, quod resultare videtur ex illis verbis postremis( y despues dellos asus descendientes varones) quia non possunt intelligi ad vitandam superfluitatem,nisi de masculis descendentibus ex fœminis,& ideo prudenter,& cum misterio adiecta fuerũt in calce institutionis,& postquam deficerent omnes filij masculi primi gradus in eorum defectum nepotes,& masculi descendentes ex fœminis substituti & vocati esse censerentur seruato ordine primogenituræ, prout ita contigit,nam per mortem don Ludouici,& domnæ Mariæ, sine masculis delata fuit successio don Bernardino maiori,in quo tamquam in principio,& radice primogenituræ fuit fundata successio, tamquam in filio primogenito,ex domna Anna filia maiore don Santijs, & in secundo loco & gradu constituebat, secundam lineam don Carolus de Heredia, natus ex domna Catherina filia, secundo genita don Santij ad quem recto tramite transferenda erat successio per mortem donBernardini minoris sine filijs, nam eo deficiente delata fuit successio ad don Carolum,& non ad dominum de Cetina,quamuis esset de prima linea don Bernardini maioris,quia viuente don Carolo eius casus,nondum venerat,& eius vocatio erat quasi suspensa donec duraret successio in linea don Caroli, & penes suos descendentes masculos ex masculis,sicut in don Bernardino maiore, & minore contigit.Et ideo don Carolo mortuo,sine filijs iure optimo prętendit dominus de Cetina debere succedere,in his bonis tanquam primogenitus repertus,in prima linea illius & gradus prærrogatiuam habens. Quod id ipsum etiam procederet quando in tertia substitutione fuisset contemplata agnatio,& vocati masculi ex masculis,quia in maioratibus,& fideicommissis perpetuis deficientibus masculis ex masculis succedere debent masculi descendentes ex fœminis,quod etiamprocedit in emphiteosi pro se,& hęredibus suis cum pręlatione masculorum ex masculis, quia eis deficientibus succedunt masculi descendentes exfœminis.Ex hijs clare cõstat,quod cum don Iustus,non comprehendatur in tertia substitutione,quia non est de descendentibus masculis ex aliqua filiarum immediata don Santij, sed ex domna Blanca,secundo genita ex domna Anna ( quę sicut ipsę filiæ immediatę

mediatę don Santij exclusę fuerant ab hac tertia substitutione, & solum fuerant vocati earum filij, masculi & sui descendentes masculi, ideo eis & suis descendentis masculis reseruauit suam vocationem in quarta substitutione in defectum masculorum don Ludouici, domnę Marię, & sororum suarum in illis verbis, (a sus hijas y descendientes dellas,) dicendum videtur casum vocationis don Iusti, nondum venisse existente, & superstite domino de Cetina in tertia substitutione comprehenso, & vocato quando quidem indubitati iuris est, quod in fideicōmis perpetuis, & maioratibus regularibus qualis, hic noster est, quoties agitur de successione illius inter aliquos semper ille pręferendus est, qui habet pręrrogatiuam gradus & lineę in primogenitura, quam certum est habere dominum de Cetina, respectu don Iusti, quia est filius masculus primogenitus filiæ maioris don Santij, & totius suę descendentię, quę fuit fundata in don Bernardino maiore sibi & omnibus suuis descendentibus masculis, quia mortuo don Bernardino minore eius filio non reperitur alius descendens masculus primogenitus nisi dominus de Cetina, in quo conseruatur primogenitura primę lineę, & confirmatur, ex eo quia in maioratibus, & fideicommissis gradualibus non debet fieri transitus, de vna linea ad aliam nisi prius finita, & vacue facta prima linea, in qua intrauit successio, & sic superstite, & superuiuente domino de Cetina non potest fieri transitus ad vocatos in quarta substitutione, nec eorum cassum aduenisse dicendum est, cum dominus de Cetina habeat prærrogatiuam gradus, & lineę, & hoc vnico fundamento cesare poterat omnis controuersia, & dubitatio quę ex quarta clausula, & substitutione, in ea contenta oriri poterat, pręsertim si propter discretiuā vocationem, in quarta clausula contentā (vt serio ex aduerso prętenditur) exclusus videretur dominus de Cetina a tertia substitutione, vt hac de causa in ea nullomodo comprehensus videatur, quia aliàs sibi ipsi substitutus foret, quod proingenti in compatibilitate reputatur, de qua re inferius latius agemus quando quidem etiam hoc modo ne subterfugere dificultatem videamur dominus de Cetina, pręferendus videtur, in hac successione don Iusto vigore quarte substitutionis. Esto igitur quod in ea comprehendatur in verbo (o descendientes dellas) in ea clausula vocantur descendentes ex filiabus seruato ordine primogeniturę, & quod vnus tantum succedere debeat cum pręlatione masculini sexus, nam ex his verbis satis constat inter descendentes ex filiabus seruandum esse ordinem primogenituræ. Ergo cum dominus de Cetina primogenitus in prima linea reperiatur tempore delatę successionis per mortem don Caroli (qui oculo intellectus succedere debuerat, & perinde haberi ac si re vera successisset) pręferendus est don Iusto in secunda linea constituto, quia habet prærrogatiuam gradus.

dus & lineę, quia ſuccedere debent deſcendentes ſeruato ordine primogenituræ inter quos apparet cōſtitutū fuiſſe fideicōmiſſū graduale, & ſucceſsiuū, ſeu verius maioratū regulare, & ſic inter deſcēdētes præcedere debet, qui habuerit prærrogatiuā gradus, & lineæ. Neq; vero negotiū faceſcere debet alternatiua illa. Bueluā en hijas, o deſcēdiētes dellas, per quæ videtur induci ordo ſuccedēdi ſucceſsiuus inter gradus, vt nō prius ſuccedant, nepotis qualis eſt dñus de Cetina, niſi quādo deficiāt filij filiarū, quæ prius vocātur, quā deſcēdētes, ex eis qualis eſt dō Iuſtus. Quādo quidē iſta verba, bueluā en hijas, verius videtur & magis congruēter intelligi debere de filiabus immediatis don Santij, præter dōnā Mariam (quam expreſſe vocauit,) non autem aliàs, quæ in tertia clauſula non apparent vocatæ, ſed ſolum illarum filij maſculi ſeruato ordine primogenituræ inter eos, & quia de deſcendentibus: ex eis per lineam fœmininam maſculis, & nepotibus poterat dubitari; vt plene inſtitutor maioratus omnibus deſcendentibus, tam maſculis, quam fœminis, & ipſiſmet ſuis filiabus immediatis conſuleret, & perpetuitati ſuæ ſucceſsionis, ideo voluit omnes filias ſuas, quas antea excluſerat (pręter domnam Mariam,) & ſolum eorum deſcendentes maſculos vocare, & comprehendere ordine primogenituræ, quod ſatis indicant illa verba (hijas) ſcilicet; las inmediatas de don Sancho, & in verbo, o a ſus deſcendientes, comprehenduntur nepotes & neptes, omnium illarum nemine excluſo. Quod ita eueniret, ſi illa verba deberent intelligi, de filiabus filiarum immediatarum don Santij, quia hoc modo eſſent excluſæ earum matres, & dominus etiam de Cetina, cum non deſcendat, ex aliqua filia filiarum don Santij, ſed ex nepte domna Sperantia, don Iuſtus, autem deſcendit immediate, ex domna Blanca, filia domnæ Annæ, & ſic eſſent filiæ iſtæ melioris conditionis, quam eorum matres & ita non plene omnibus fuiſſet conſultum. Niſi dicamus ad euitandum, hoc inconueniens ( quod rectę, & vere dici poteſt,) quod etiam dominus de Cetina, dici poteſt deſcendens, ex filia cū deſcendat, ex domna Sperantia, quæ licet ſit neptis domnæ Annæ, etiam appellatione filiarum venit ſicut nepotes appellatione filiorum, in fideicommiſſis perpetuo duraturis quando agitur de eorum fauore & beneficio, & alias ab extraneis, aut collateralibus excluderentur, quia ſic magis conſeruantur fideicommiſsa, quanto plures perſonas comprehendunt, per quas debeat fieri tranſitus, quod multo magis procedit in maioratibus regularibus qualis eſt, iſte, vt appellatione filiarum etiam neptes, ex filiabus immediatis don Santij, contineantur, qualis eſt domna Sperantia, ſicut dicimus, quod hac de cauſa pro conſeruatione maioratus filij poſiti in conditione cenſeantur vocati. Neque etiam obſtat argumentum a diſcretiua vocatione, vt ſi dominus de Cetina, in tertia eſt vocatus, in quarta non comprehendatur, nec vi-

ce

ce versa alioquin sibi ipsi substitutus videretur. Nam hoc argumentum a discretiua vocatione, non habet locũ inter diuersas personas, & ita in primo sensu loquendo de filiabus, quia solum in tertia substitutione erant vocati filij masculi don Ludouici, domnæ Mariæ, & aliarum sororum suarum. Ideo voluit in quarta substitutione comprehendere, eas quæ prius non erant vocatæ, & in hoc sensu nulla est discretiua vocatio, inter easdemmet personas. Neque etiam in secundo sensu, quia in tertia substitutione vocati erant filij masculi, don Ludouici, domnæ Mariæ, & sororum suarum, non autem filiæ illarum, & sui descendentes ideo eas vocauit in quarta substitutione, & ideo quocumque modo, non vocantur diuersę personæ in diuersis substitutionibus. Præterea facit, quia hæc verba (hijas) si accipiantur in primo sensu, omnem dificultatem submouẽt, & de plano procedunt, nam licet inter filias immediatas dõ Santij, haberet locum alternatiua, si aliqua illarum superesset, non tamen habet locum inter descendentes inter quos ordinem primogenituræ seruari voluit don Santius, & ideo præualet, prærrogatiua gradus & lineæ non autem alternatiua, cum omnes sint descendentes. Imo vero licet in fideicommissis alternatiua ordinem succedendi designare videatur, per prius, & posterius, vt prius succedant primo nominati, deinde qui eis proximiores sunt, hoc tamen non habet locum quando apponitur clausula salua gradus prærrogatiua, quia tunc cesat representatio, & subrrogatio, & nõ intrat in locum prædefuncti subrrogatus in eius locum, sed soli proximiores abintestato succedunt, ita quoque in pręsenti casu licet non tamquam maioratus, sed tamquam fideicommissum graduale, & successiuum considerandus esset, hæc clausula succedendi seruato ordine primogenituræ respectu linearum, & gradum debet intelligi, vt prima secundæ pręcedere debeat quandiu durat prima, in qua intrauit successio, & sic consequenter de reliquis dicendum est. His accedit quod hic versamur in casu, in quo omnes filiæ filiarum pręfunctæ fuerunt tempore delate succesionis, quia neque domna Anna, neque eius filia domna Blanca, viuebant tempore delate successionis videlicet tempore mortis don Caroli, & sicuti de iure scriptum est quod habens facultatem eligendi inter aliquos, & aliqui ante electionẽ mortui sunt illi in electione non veniunt, sed solum superstites eligendi sunt. Ita quoque de filiabus prædifunctis curandum non est, sed successio defertur ad descendentes, inter quos seruari debet ordo succedendi ab institutore maioratus præscripto, vt in nostro casu seruato ordine primogenituræ. Nec mouere debet alternatiua, quia ipsamet de sui natura indicat ordinem succedendi inter eos inter quos ponitur, vt si in vno locum nõ habeat (verbigratia si mortuus fuerit) superstiti, & superuiuenti deferatur successio qua si alter per vulgarem fuerit substitutus. Ita namque filiæ vocatæ censentur

si super-

si superstites sint tempore delatæ succesfsionis, aliàs pro non vocatis habeã tur, & succesfsio ad alterum transferatur, & in specie in maioratibus conceptis per alternatiuam. Nã ipsamet declarat suficere, quod incipiat in quocumque, ex nominatis tempore delatæ succesfsionis, vt altero ex alternatis præmoriente succesfsio in altero radicetur, & ad eum deferatur. Quid quod licet inter doctores, non satis constet, vnde vel a quo incipere debeat, prima linea succesfsionis: omnes tamen affirmant, quod hoc cesat quando disponens declarauit, vnde vel a quo principio, & gradu voluit lineam incipere. Quod satis liquet in præsenti casu, quod in hac succesfsione seruetur, ordo primogenituræ inter descẽdẽtes, & sic dubitari non potest, vnde vel a quo incipere debeat succesfsio. Quia de se patet quod a prima linea, & ea di ficiente ad secundam, & sic de reliquis. Quod id ipsum satis indicauit in tertia substitutione inter filios, primi gradus, de gradu in gradum deferri debere succesfsionẽ istius maioratus seruato ordine primogenituræ. Quæ sola verba, de grado en grado, y faltando de la vna en los descendientes de la si guiente, desiderantur qua declaratione nulla maior dari potest ad regulandam succesfsionem, inter descendentes filiarum. Et nihil minus (vt scopulum illum euitemus, inquo illidere necessario debere aiunt & naufragium facere succesfsionem domini de Cetina, & eius in ea prælationem ad don Iustũ) quod don Santius voluerit in hac quarta substitutione turbare peruertere, & præposterare ordinem succedendi inter descendentes, & quod primogenitura, quæ radicata fuit in don Bernardino maiore superstite, & superuiuente domino de Cetina, qui est de prima linea transferatur, ad secundam videlicet ad domnam Blancam, & per eius mortem ad don Iustum, & quod ipse constituat primam lineam inter descendentes, vel quod continuetur in ea quæ radicanda erat in eius matre domna Blanca, si viua foret tempore delatæ succesfsionis. Quia inquiunt versamur in maioratu formato in contractu cuius spes saltim transmititur, & prædefuncti filius representat persona nam patris, & sic don Iustus personam matris suæ. Quando quidem hoc ni hil releuat, quia licet hæc linearum transmigratio peruersio, & de vna ad aliam transitus fieri posfsit etiam prima, non euacuata & superstite aliquo in ea existente permitatur, & fieri posfsit de voluntate disponentis, cum in re sua quilibet, sit moderator, & arbiter & posfsit facere quadrata rotunda (licet quadratura circuli aduc satis cognita non fuerit) sic quoque huiusmodi linearum præposteratio sole clarius, & quasi digito demonstranda est, quanto magis, vt superius diximus, quod quando de voluntate institutoris maioratus dubitatur aquo ex alternatis & per disiunctiuam vocatis incipere debeat prima linea, & radicari primogenitura, si de eius voluntate aliquomodo constare potest, ea sequenda est. De qua in præsenti casu, vt superius dixi

 mus

mus satis liquet,ita vt lypis & tonsoribus possit esse nota,voluisse dō Santium inter descendentes ex filiabus seruari eundem ordinem primogenituræ,quem inter filias masculos filiarum in tertia substitutione voluit:videlicet de vno ad alium,de gradu in gradum seruato ordine primogenituræ incipiendo a filio primogenito videlicet don Bernardino maiore ex domna Anna,filia primogenita don Santij.Et ex his satis superque responderi posse videtur,ad alterum obicem de proximitate don Iusti,ad Carolum & quod eius respectu tamquam proximior ei succedere debeat & præferendus in successione domini de Cetina;quia vt proxime dictum est proximitas etiam in fideicommisis non atenditur quando adest clausula salua gradus prærrogatiua:quanto magis in maioratu regulari,in quo debet seruari ordo primogenituræ,quæ clausula potentius operatur,& magis iuxta voluntatem don Santij;qui nihil minus voluisse videtur quam præposterare, & turbare ordinem succedendi in quarta substitutione,quasi ab alienatus a se ipso,& immemor ordinis succedendi,ab eo præscriptus in tertia substitutione:videlicet quod nullo modo atenderetur ad proximitatem vltimi possessoris,sed ad prerrogatiuam gradus,& lineæ.Nam si voluisset expressisset,vt proximior succederet deberet vltimo possessori,quod non dixit,sed quod seruetur ordo primogenituræ,quæ de sui natura innatam habet successionem,in illa linea in qua semel intrauit,vt ea durante ad alteram non possit fieri transitus,& sic dicendum videtur parificandas esse tertiam , & quartam lineam in forma,& ordine succedendi inter descendentes, vt de gradu in gradum deferatur successio,& de vna linea finita , & euacuata ad alteram,& non antea. Neque etiam mouet quod ad introducendam quartam substitutionem filiarum,aut descendentium suorum,ea fuerit concepta sub conditione.Que faltando y siempre que faltaren descendientes varones por linea masculina de todas sus hermanas bueluan en hijas , o descendientes dellas: vnde inferri volunt , quod propter deficientiam filiorū masculorum per lineam masculinam ex filiabus don Santij, quales fuerunt vterque don Bernardinus maior: & minor,& pater & filius,& don Carolus de Heredia,don Iustus habeat magis specificam vocationem,quam dominꝰ de Cetina,cum tamen vterque descendat per lineam fœmeninam,& non masculinam.Imo dominus de Cetina habeat , & participet magis de masculinitate,cum sit nepos don Bernardini maioris,& ita non satis liquet quomodo ex defectu masculorum inferatur magis specifica vocatio, pro don Iusto,nisi dumtaxat atenta proximitate ad don Carolum , qui succedere debuerat. Nā vt superius dictum est,proximitas in maioratu regulari non est atendenda quandiu super est aliquis de prima linea,in qua radicata fuit successio.Quando quidem licet ea respectu masculorum ex filiabus dō

Santij

Santij fuerit finita, adhuc tamen super est respectu masculorum nepotum, ex eisdem filijs substitutorum in defectum illorum, vt superius latius fuit deductum, & dictum dominum de Cetina comprehendi, in tertia substitutione eo modo concepta & intellecta, prout re vera accipienda & intelligenda est, ad excludendam quartam substitutionem, vt superstite domino de Cetina, vocato in tertia substitutione dicendum, sit non aduenisse casum, quartæ substitutionis, & hoc modo facile sedatur, hæc controuersia. (Sed ea musitata interim, & circũscripta,) demus ex hypotesi (quod verum est) vltimam substitutionem in quarta clausula, contentam fuisse conceptam, & subordinatam inter descendentes, tam masculos quam fœminas seruato ordine primogenituręe (quæ vt dictum est,) non debet esse disparis cõditionis, quam quæ fuit concepta, & subordinata inter filios masculos filiarum don Santij in tertia substitutione cum prælatione gradus, & lineæ primogenituræ, quas constituebant don Bernardinus maior, primam & don Carolus secundam cui non poterat deferri succesio, nisi deficientibus vtroque don Bernardino & don Carolo deficiente (si nihil aliud obstaret videlicet existentia domini de Cetina, pro conseruatione primæ lineæ, quę in eo adhuc cõseruabatur, vt dictum est) subordinata, in quam fuit quarta substitutio inter filias & descendentes earum seruato ordine primogenituræ. Et quis non dixerit domnam Sperantiam, & eius filium dominum de Cetina, debere constituere primam lineam, in hac quarta substitutione inter descendentes? sicut don Bernardinus maior illam fundauit in tertia clausula, cum sint descendentes, ex eodem don Bernardino maiore, & domna Blanca si viueret, & don Iustus constituerent secundam lineam inter descendentes? alioquin si a domna Blanca, si viua fuisset, aut a don Iusto in eius locum subrrogato, succesio deriuanda esset, & incipienda non seruaretur ordo primogenituræ, sed potius peruerteretur, & præposteraretur, & non esset verum dicere seruari ordinem primogenituræ, quia prius & posterius, non se compatiuntur, præsertim, cum hæc quarta substitutio habeat dependentiam a præcedentibus in quibus ordo primogenituræ satis declaratus fuit a quo incipere debeat videlicet a filio masculo primogenito filiæ maioris don Santij, qui fuit don Bernardinus maior. Præterea etiã facit, quia si de vi, & potestate verborum conditionalium contentorum in quarta clausula, ad introductionem huius quartæ substitutionis agendum est, (in quibus don Iustus valde innititur & suam intentionem fulcire conatur, sed quomodo, hoc opus, hic labor est) verius & receptius est verba conditionalia, non declarare, nec coarctare verba dispositiua generalia præcedentia neque etiam sequentia si magis generalia sunt. Item quia licet hęc verba conditionalia (defectus masculorum per lineam masculinam,)

ad introductionem quartæ substitutionis posita fuerint, & sic limitata ad casum deficientiæ masculorum adhuc tamen certa, & indubitata iuris regula est, quod in maioratibus & fideicommissis perpetuis vltra clausulam conditionalem expressam ad introductionem alterius substitutionis ex iuris dispositione comprehenditur alia intrinseca clausula videlicet si defecerint omnes prima linea, & gradu vocati, & sic necesse est, omnes cognatos & agnatos (si tales dici possunt comprehensi, in verbo descendentes masculos, tertiæ lineæ) oportere prius deficere, & per inde est ac si dixisset, quod deficientibus masculis, ex linea masculina, & omnibus alijs vocatis in gradibus, & substitutionibus præcedentibus, prius deficiant, & sic superstite domino de Cetina, in tertia substitutione inter masculos descendentes comprehenso, vt dictum est, non potest verificari aduenisse casum quartæ substitutionis. Quãdo quidem receptum, & indubitatum est, quod quando sunt plures gradus constituti in aliquadispositione censetur datus ordo succedendi inter eos. Nõ enim succedit posterior, nisi deficiat prior gradus, & propter gradus fideicommisso præscriptos qui sequentis gradus sunt non admituntur, nisi prioribus finitis: alioquin daretur preposteratio, & intercalatio linearum (sicut philosophi dicunt de penetratione corporum, vel de transmigratio pythagorica, quę naturaliter fieri non potest,) si de prima non vacuefacta in totum ad secundam fieret transitus, & deinde successio reuerteretur ad primam, & sic succedendi ordo, non magis seruaretur, quam confunderetur, & in hoc sensu dominus de Cetina, qui est in prima linea primogenituræ expectare deberet deficientiam don Iusti & suorum descendentium, qui sunt de secunda linea. Quod absouum & absurdum videtur, & alienum a voluntate institutoris maioratus, quem præsumendum est voluisse sponte, & plane fluere successionem, & non interpolate, & prępruptæ. Quod non tam præsumptiue id sensisse, sed apertissime constare de eius mente asserendum est; volendo seruari inter descendentes filiarum ordinem primogenituræ. Accedit etiam quod quęlibet substitutio facta est, in defectum primo loco institutorum etiam, si non exprimatur quia pro expressa habetur. Ea namque est substitutionum natura. Vt ita demum ad sequentes gradus deueniatur, si prius defecerint vocati in prioribus gradibus etiam si hoc non sit expressum, & ideo licet, in subordinatione graduum & linearum apponãtur aliquæ conditiones specificæ & limitatę non suficit eas adimpleri, sed necesse etiam est quod adimpleatur tacita cõditio particularis & legalis, vt intrinseca, vt prius deficiant vocati in prioribus gradib⁹, nã oportet adimpleri conditionẽ particularẽ cuiuscumque gradus & legalem subintellectam, quę est omnibus cõmunis, prout ita de iure responsum fuit à grauissimis viris in simili facti specie, huic nostræ
licet

licet nonnullis (duobus tantum) magis placuerit ex sola expreſsione con ditionis ſpecifice diſponentem a generali & legali comprehenſa conditione recedere voluiſſe. Quid quod iſti loquuntur in repetitione, quę in præſenti caſu, in hoc ſenſu excluditur & iuxta aliorum ſententiam contra mentem, & literam introducitur. Et ita videmus quod inter plures ſubſtitutos, & de vno ad alium fiat tranſitus ſemper ponuntur in conditione vocati, in linea pręcedenti immediata, ſine expreſsione legalis conditionis deficientię omnium vocatorum in lineis pręcedentibus, & nihilominus neceſſe eſt, omnes prius vocatos deficere, nec ſufficit conditionem ſpecificam ſuæ vocationis adimpletam fuiſſe. Exemplum eſt familiare in ea formula inſtituo Petrum, & ſi Petrus decędat, ſine filijs ſuccedat Ioannes, & ſi Ioannes decedat, ſine filijs ſuccedat Franciſcus, & ſi Franciſcus decedat ſine filijs ſuccedat Martinus. Nam licet moriatur Frãciſcus, ſine filijs non ſtatim ſuccedet Martinus, ſed deficientibus prius Petro & Ioanne prius vocatis. Ita quoque in pręſenti caſu non ſuficit ad introductionem vltimæ ſubſtitutionis adimpletam fuiſſe conditionem particularem deficientię maſculorum per lineam maſculinam: prout nullum extare maſculum per lineam maſculinam ex filiabus don Santij certum eſt, niſi etiam impleatur conditio legalis intrinſeca deficientię omnium maſculorum agnatorum, & cognatorum contentorum, & vocatorum in tertia ſubſtitutione in verbo deſcendentes maſculi, quod nullo modo dicendum eſt, quamdiu viuit dominus de Cetina. Pręterea licet demus hęc verba cõditionalia, de faltar hijos varones por linea maſculina, (quæ epilogando & per anachefalcoſim dicta, omnes pręcedentes ſubſtitutiones repetendo adiecta fuerunt) non videntur poſſe derogare clauſulas pręcedentes ſpecificas, nec ſubſtitutiones earum aliquid operari. Quid quęſo magis in fauorem don Iuſti faciunt? aut vnde ex eis verbis conditionalibus magis indiuidua & ſpecifica vocatio eruitur, quã pro domino de Cetina? Eſto enim quod euenit caſus deficientię maſculorum, quid ad rumbum? defecerunt maſculi filiarum ergo ſuccedere debet don Iuſtus prius quam dominus de Cetina? vnde hoc non ne hic decendens eſt, & maſculus & in prima linea primogeniturę cõſtitutus? quę potiſsimum atenditur, & ſecundum quam regulanda eſt, ſucceſsio deſcendentium per prius & poſterius, & ſic dominus de Cetina, exiſtens in primo gradu, & linea præferendus eſt, etiam alijs deſcendentibus etiam ex domna Anna, ſecundo vel tertio genitis qualis eſt domna Blanca & eius filius & deſcendentes. Inſtitutor enim maioratus aperte voluiſſe videtur extrahere & conſtituere vnam lineam in qualibet filiarum ſuarum, & neptum ad ſuccedẽdum ſeruato ordine primogeniturę. Et ſic quis non videt dominum de Cetina, & don Iuſtum in qua quiſque linea, ſit conſtitu-

tus ? ille in prima hic vero in ſecunda. Vlterius illa verba conditionalia, faltando y ſiempre que faltaren varones por linea maſculina, grauiſsimis viris non immerito, ſed ſuma cum ratione placuit, ſolum operari, & declarare vocationem eſſe intelligendam de maſculis ex filiabus habito tantum reſpectu ad maſculinitatem, & nullo modo ad agnationem, quæ eo ipſo ceſat, quod vocantur fœminæ, vel deſcendentes ex eis licet ipſæ ſint de agnatione: & hoc fit ad euitandam correctionem & reſtrictionem diſpoſitionis generalis ſimplicis vocationis deſcẽdentium maſculorum ex fœminis. Et licet demus conditionalia declarare diſpoſitiua (quod valde durum & minus receptum eſt) adhuc non poteſt fieri tranſitus de vna linea ad aliam niſi prima finita, & vacue facta. Non enim eſt veriſimile diſponentem voluiſſe, quod exiſtens in poſteriore linea præferatur exiſtenti in prima linea, & habenti in primogenitura prærogatiuam gradus & lineæ, niſi ea in totum prius deficiente etiam ſi non dicatur. Neque enim (inquit iuriſconſultus) nouum eſt quod aliquid ſimpliciter dictum intelligatur ſaluus ſupradictis. Et quando verba conditionalia valerent ad declarandum, non tamen ad inducendam correctionem & repetitionem, neque ad turbandum ordinem ſuccedẽdi. Quidquod verius & receptus eſt, verba conditionalia non ſolum non diſponere, ſed neque etiam declarare diſpoſitionem generalem præcedẽtẽ. Quia ſi ipſa de per ſe nõ diſponunt minus poterunt diſpoſitiua declarare, cum nulla inter eas ſit ſimboleitas proportio, nec ſimilitudo, nam ad aſimbola difficilis eſt tranſitus, præſertim quando verba diſpoſitiba de per ſe ſunt ſatis clara, & certa quales ſunt præcedentes ſubſtitutiones tertiæ clauſulæ, vbi ſimpliciter maſculi deſcendentes ex filiabus don Santijs vocantur, & in vocatione don Ludouici, & ſuorum deſcendentium maſculorum, non adeſt clauſula per lineam maſculinam licet, ſic in conditionalibus, & etiam in vocatione domnæ Mariæ, & ſuorum deſcendentium, tam in diſpoſitiuis quam in conditionalibus, & poſtea in tertia ſubſtitutione deſcendentes maſculi ſimpliciter & indiſtincte, ſine clauſula ex maſculis ponuntur, & ſic maſculi ex maſculis, & ex fœminis comprehenduntur, in quo caſu ſecundum veriorem opinionem, & magis cõmunem, quando ſunt verba clara & certa, alia declaratione non indigent, & declaratio non debet eſſe de re certa, ſed dubia ſicut lex, quæ non debet eſſe de indubitabili, alioquin ſi omnes clauſulæ de maſculis ex maſculis intelligẽda forent, & ita declarande, correctionem, & limitationem potius, quam declarationem inducerent, & maſculinitatis repetitionem: quæ neque in maioratibus ipſis admititur, cuius etiam fœminæ ſunt capaces, quanto magis maſculi ex fœminis comprehendi debẽt. Alioquin ſequeretur, vnum maximum abſurdum, quod per hanc repetitionem, ſiue declarationem comprehenſi, in prima linea maioratus excluderentur a

contentis

contentis & comprehẽsis in secunda. Quia de natura declarationis est, nihil addere detrahere, nec restringere, & declaratio debet esse congrua & congruum dicitur, vbi verba accipiũtur secundum suum proprium significatũ, & declaratio & correctio, aut repetitio non se compatiuntur, & in claris non est opus coniecturis, & vbi verba sunt clara non sunt admitendæ cauillationes, & alię interpretationes. Et ita nihil addendum in tertia clausula, quę sine aliarum adminiculo adeo per se clara est, vt non egeat aliqua declaratione, cum verbum descendentes masculi de sui natura comprehendat vtrosq; masculos ex masculis, & ex fœminis, præterea vulgata regula iuris est, quod quando nominantur plures personæ, cum diuersis qualitatibus, & conditionibus, & postea per epilogum omnes prædictæ personæ superius nominatæ referuntur, debent referri singula singulis, & vnicuique est tribuẽda qualitas, sub qua fuit vocata, & sic illa verba. Y faltando descendientes varones por linea masculina de don Luys, de la Duquesa y sus hermanas, sunt referenda ad præcedentes substitutiones, & vocationes singula singulis, scilicet ad don Ludouicum, & suos descendentes masculos simpliciter ad domnam Mariam: & suos descendentes masculos per lineam masculinam, & ad descendentes masculos ex filiabus masculos tantum, & non quod in omnibus substitutionibus masculi ex masculis comprehensi censeantur, quasi pro cõseruatione agnationis, quæ per fœminas, & eius descendentes masculos cõseruari non potest, vt sepius dictum est. Et hoc pręcipue, verum est quando substitutiones sunt distinctæ, & separate respectu diuersarum personarum, & substitutionum, & sunt plene & perfecte orationes, & continent integrũ sensum, & aliæ ab alijs non dependent, nec reguntur ab vno & eodem verbo quales sunt iste quatuor substitutiones. quidquid alij comminiscantur de tertia substitutione, quod pendeat a secunda ponderando ad suam introductionem, illa verba. E si de las otras hijas, propter dictionem, & si quasi coniungat tertiam, cum secunda. Quia dictio, & si non semper copulat, sed stat de per se, & est principium nouæ dispositionis, & præsertim quando clausula in qua ponitur habet perfectum & integrum, & in dependentem sensum & quęlibet à suo verbo regitur. Alioquin, quando plures perfectæ substitutiones sunt inuicem subordinatæ & connexe nulla earum diceretur completa atenta illorum connexitate, & subordinatione, ex quo sunt inuicem concatenatæ & copulatæ, quod tamen necessario fieri oportet, cum substitutio præsuponat institutionem. Vlterius quis non videtquod hac larua, hoc fuco & hoc quęsito colore declarationis resultantis, ex verbis conditionalibus volunt ex aduerso inducere, & suplere repetitionem masculinitatis ex masculis. Quid enim magis interest inter declarationem quam repetitionem masculinitatis, cum vtroque modo, siue declarando, siue repetendo suplea-

tur masculinitas, ex masculis de quæ aliàs non constat, neque aparet. Vnde sequeretur vnum absurdum intolerabile contra naturam maioratus, quod remanerent exclusi comprehensi in linea primogenituræ, per eos qui sunt de linea secunda, quod dicendum non est maxime, cum versemur in contractu in quo repetitio non admititur, sed tantum censetur actum fuisse, vel dictum inter contrahentes quantum fuit expressum, & non amplius. Iam vero vt tollamus omnem obicem qui resultare potest, ex qualitatibus requisitis in personis quæ iuditio institutoris succedere debent in hoc maioratu, verius videtur, & congruentius dicendum non esse attendendas alias qualitates præter eas quas expresis, & disertis verbis vocare voluit qualitates, vt aparet & resultat ex quatuor gradibus substitutionum, nam in prima vocatione don Ludouici, quæ caput & principium aliarum est, solum vocantur filij, & descendentes masculi don Ludouici, & statim subiungit, con esto empero que no sean religiosos ( sino de milicia, que pueda contraher matrimonio ) ni furiosos, ni mentecaptos. Et easdem qualitates repetit expresis verbis in substitutione domnæ Mariæ, & in tertia relatiue tantum addendo onus ferendi nomen & arma de los Pomares, & in quarta relatiue tantum in illis verbis, guardando siempre dichas condiciones y calidades, nulla prorsus de qualitate masculinitatis facta mentione, quam sine causa super addere voluerunt contra mentem donSantij, qui solum locutus est de qualitatibus exclusiuis, quas in vocatione don Ludouici, & suorum descendentiũ masculorũ vocat impedimentos, & si non cócurrant, in eo qui succedere debet, vel aliquod illorum excludatur à successione, & sic aperte loquitur de qualitatibus exclusiuis, quæ nullo modo possunt intelligi de masculinitate, quæ non solum non excludit, neque impedit verum etiam secundum illorum sententiam, qui illam volunt ingerere est, necessaria ad inclusionem succedendi sicut primogenitura, & linea masculina. Quod etiam conuincitur, ex eo quod repugnaret quartæ clausulæ, si contineretur in clausula, con las dichas condiciones y calidades, loquendo de masculinitate per lineam masculinam, quia ista clausula quarta loquitur de filiabus, & filiabus earum & ex vtrisque descendentibus, quæ omnes sunt de linea fœmenina. Alioquin esset intollerabilis repugnãtia, quod clausula, quæ solum loquitur de linea fœmenina contineret, & includeret qualitatem lineæ masculinæ. Attentis itaque prędictis qualitatibus exclusiuis, quæ neutri collitigantium cõpetunt, nulla vis in eis fieri potest, neque ex eis aliquid elici magis pro don Iusto quam pro domino de Cetina, cum vterq; sit cognatus descendens masculus, & apti ad ferendum nomen, & arma, quæ sola qualitas fuit superaddita, & expressata, cuius ambo æque capaces sunt, & sic atentis huiusmodi qualitatibus nullo modo ap-

do ap-

do apparet quomodo sit præferendus don Iustus domino de Cetina, qui illum vincit in prerogatiua gradus, & lineę, vt dictum est. Neque etiam vrget, aut negotium facescere debet argumentum à discretiua vocatione, nam in vtroq; sensu accipiendo illa verba, ò en hijas dellas, hoc argumentum non procedit quando cadit inter diuersas personas, vt superius latius deductum fuit loquendo de sensu huius verbi, hijas. Nam in primo sensu dominus de Cetina cõprehẽsus est in tertia substitutione tanquam masculis descendens ex filio masculo domnę Annę. Et sic non comprehenditur in quarta, quę vocat filias filiarum, & earum descendentes, quę neq; etiam filię immediatę don Santij non continebantur in tertia substitutione. Ideo eas vocat in quarta ad introducendam substitutionem, & successionem inter eas, & suos descendentes in quo (Achylles don Iusti consistit) vt ex eo quod in quarta clausula, & in substitutione in ea contenta appareat vocatus dominus de Cetina in verbo, y a sus descendientes dellas, cum sit descendens ex filiabus don Santij, non censeatur vocatus in tertia substitutione, ne alioquin sibi ipsi substitutus videatur, quod pro absurdo, & incompatibili reputatur, argumento sumpto à discretiua vocatione. Et nõ mirum quod in ea vim faciat, & omnes vires, & neruos intendat, quia excludendo dominum de Cetina á tertia substitutione facilius sibi viam præmunire videtur ad se includendum in quarta substitutione, & ad excludendum dominum de Cetina vigore alternatiuę in ea positę de qua superius diximus, & inferius serio & latius agemus. Quandoquidem vsq; adeo vrget vocatio domini de Cetina resultans ex tertia substitutione, vt in totum excludat euentum quartę, & quod ex ea neq; mater don Iusti, si viueret, & ipse multo minus se iuuare possit, neq; casum suę vocationis venisse pretendere possit, vt superius demonstratum fuit, quia dominus de Cetina habet prerogatiuam gradus, & lineę in primogenitura. Redeundo igitur ad argumentum discretiue vocationis, neque obstare, aut releuare videtur, cui multis modis respondetur. Et primo quia hoc argumentum non habet locum, nec procedit inter diuersas personas, vt satis superque demonstratum fuit agendo de viribus alternatiuę, & de intelligentia verbi, en hijas, o descendientes dellas, quod in vtroq; sensu, siue intelligatur de filiabus primordialibus don Santij, siue de filiabus filiarum quomodocumq; diuersę personę considerantur, & continentur in quarta substitutione respectu tertiæ, quia neque descendentes masculi ex neptibus don Santij adhuc erant vocati in secundo sensu, neq; in primo erant vocatę filię immediate don Santij, neq; eorum descendentes, præterquam domna Maria. Et ideo vt hos omnes comprehenderet, qui vocati non erant fuit adiecta quarta substitutio, vt in filiabus, & suis descendentibus radicare-

tur successio, postquam semel successio in filiabus radicata fuisset, & adueniente eo casu, descendentes earum succedere possent, & hoc modo plene omnibus suis successoribus prudens consilium don Santij prospexisset. Præterea argumentum à discretiua vocatione solum procedit quando vna & eadem persona, vel plures comprehenduntur in verbis generalibus substitutionis antecedentis, & in vltima specialiter, & nominatim sunt vocatę vt quando in genere vocantur filij, & eis deficientibus vocantur filię. Nó autem quando vocati per verba generalia, vel specialia antecedentia censentur comprehensi in verbis generalibus sequentibus, quia tunc repugnaret discretiua vocatio. Quãdo quidem generalis prouisio sequens, non derogat casus speciales antecedentes. Secundo respondetur non esse inconueniens, neque continere incompatibilitatem, neque repugnantiam, quod vnus & idemmet sit vocatus, & comprehensus in diuersis clausulis, & substitutionibus genericè, vel specificè, vel in vna genericè & in alia specificè & quod ipsi sibimet substituatur, quia ex quacumque vocatione poterit succedere, quę verificata fuerit in eius fauorem, quia vt alter ex Coripheis iuris testatur communiter receptus, quando species & genus aponuntur fauore vnius, & eiusdem personę, amplior prouidentia generis non excluditur per prouidentiam speciei, quia prouisio generalis pręcedens, si sequatur specialis prouisio, nón censetur illam restringere, sed magis declarare casum specialem per singularem denominationem, quia inducta ad augmentum non debent operari diminutionem. Et in nostro casu, quis dixerit clausulam finalem fuisse appositam ad restringendas substitutiones pręcedentes, & ordinem succedendi peruertendum & pręposterandum? & non magis ad ampliandas illas, & quod ex prouidentia institutoris maioratum omnibus suis successoribus consuleretur & pręsertim eis, qui in prioribus substitutionibus non fuerunt vocati, vel saltim in genere. Non enim inconuenit, vt vna substitutio pro varietate personarum, & temporum varietur. Et ideo licet in hac clausula comprehendantur masculi descendentes ex fœminis, & in casu suæ vocationis (de quo si non aduenirет curandum non est) nec ex futuro euentu arguendum ad casum pręsentem clarum & apertum in quo agitur de successione in linea don Bernardini maioris, quę adhuc durat, quandiu superest dominus de Cetina descendens ex illo, & est primogenitus masculus. Et in hac materia quando aliquis casus nondum venit non de eo, sed de alio qui euenit agendum est. Præterea absurdum non est vnam & eandem personam in diuersis gradibus esse substitutam sicut absurdum non est, eundem esse institutum, & substitutum diuersis respectibus, & sic licet dominus de Cetina, sit etiam vocatus in quarta substitutione sub verbo generali, descendien-

cendientes, non ex eo derogatur vocatio illius ſpecifica tertię ſubſtitutionis tanquam deſcendens maſculus deficientibus filijs maſculis primi gradus filiarum don Santij, vt ſuperius dictum eſt. Et quamuis ex hipoteſi daremus non in tertia, ſed in quarta ſubſtitutione domini de Cetina cenſeri, vocatum vigore diſcretiue vocationis (vt don Iuſtus pretendit) non ideo magis in hac quarta ſubſtitutione eidem dominus de Cetina, preferendus erit quidquid comminiſcatur de præpoſteratione linearum, & ipſius primogenituræ præuaricatione. Quam ex eo inferre, & deducere intendit, & conatur, quod propter deficientiam deſcendentium maſculorum per lineam maſculinam don Ludouici, domnæ Mariæ, & ſororum ſuarum venerit caſus vocationis filiarum ſuarum, vel ſuorum deſcendentium, ibi, en hijas, o deſcendientes dellas, quo caſu prius vocatæ fuerunt filiæ, & deinde deſcendentes ex eis, & ſic ex ordine literę, & vigore alternatiue, ſicut domna Blanca, ſi viueret tamq; primo, & ſpecialiter vocata cum verbo appellatiuo de hijas, prius ſuccedere debuiſſet, quam aliquis ex deſcendentibus vocatis ſub verbo collectiuo, ad inſtar fideicommiſsi familię relicti in quo prius nominati ſuccedere debent. Et deinde his propinquiores: ita quoque don Iuſtus tanquam propinquior matri ſuę, & ſubrogatus in eius locum vigore maioratus ipſe prius ſuccedere debeat antequam dominus de Cetina, etiam ſi exiſtat in prima linea don Bernardini maioris, & habeat prærogatiuã gradus & lineę. Neque eſſe inconueniens quod de vna linea ad aliam fiat tranſitus, etiam ſi prima non ſit in totum finita, nec vacue facta, & ſuperſit aliquis de contentis in ea, ſi hoc inſtitutor maioratus, vel fideicommiſsi voluerit, & de eius expreſſa voluntate fieri poſſe receptum eſt, quia in re ſua quilibet eſt moderator, & arbiter, & pro libito voluntatis ſuę de rebus ſuis diſponere poteſt, & præſertim in hoc Regno. Huic enim argumento de incluſione don Iuſti ſatis ſuperq; ſatisfactum eſt, & multipliciter reſponſum, nam preterquam (quod vt obiter hoc quoque dictum ſit) de dicta incluſione Don Iuſti legitime non conſtat in ſua propoſitione, neque de iure ſucceſsionis ſuę in hoc maioratu clarè & diſtinctè doceat, ſed ſub in volucro & confuſe aſſerendo ſucceſsione ad ſe pertinere per mortem Don Caroli de Heredia vigore vinculorũ, & ſubſtitutionum contentarum in dictis capitulis Don Ludouici: & licet eam latius deducat in ſua Cedula replicæ, & magis in ſpecie, vt apparet ex deductis in quinto, & ſexto articulis: hoc non videtur ſufficere, nec ei ſuffragari poſſe cum de foro omnes articuli incluſiui deducendi ſint in propoſitione in Cedula replicæ. Sed vtcumque ſit adhuc tamen (vt ſupra latius deductum fuit) de expreſſa voluntate Don Santij, neque etiam tacita nullo modo apparet, nec conſtat eum voluiſſe magis in quarta ſubſtitutione

tutione præposterare, & peruertere ordinem succedendi inter descendentes ex filiabus, quem in præcedentibus substitutionibus præscripserat, vt in eis seruaretur ordo primogenituræ de gradu in gradum incipiendo à filia sua primogenita, ibi: A saber es de la mayor dellas. Nam eadem formula verborum fuit præscripta in quarta substitutione, ibi: Peruengan en hijas, o descendientes dellas perpetuamente en vn solo successor guardando orden de primogenitura. Et solum deficiunt illa verba, de grado en grado, quibus equipolent illa debere succedere ordine primogenituræ, quia si deferenda est succesio de grado in gradum hoc fieri non potest, nisi per prius & posterius: quæ verba si apposita fuissent in quarta substitutione nullus dubitandi locus superesset. Neque releuat alternatiua illa, en hijas, o descendientes dellas, quia cum maioratus istæ non sit fundatus in hac quarta clausula, sed dependeat ex antecedentibus vocationibus, & substitutionibus, & regulandus est iuxta seriem, & ordinem succedendi in illis præscriptum, vt ordo linearum, & gradum debeat seruari, & non per saltum de vna ad aliam debeat fieri transitus, quia hoc non esset seruare ordinem, sed peruertere & confundere. Si iterum succesio redire deberet ad primam, quod ita contingeret si domna Blanca si viueret (quæ secundam lineam constituit inter filios domnæ Annæ, & don Bernardinus maior primam) ea nondum finita succedere debuisset, & per eius mortem don Iustus, & ita primogenitura in secundo genita constitueretur, cuius & suorum descendentium defectus spectandus esset, & prima in qua radicata fuit succesio suspensa maneret: quid quod in maioratibus non attenditur ordo vocationis, & succesionis ex primo nominatis sicut in fideicommisis familiæ relictis, & præsertim attenta natura alternatiuè, quia institutor maioratus in quolibet ex vocatis alternatiuè potest constituere primam lineam succedendi, & in altero secundam, quod secundum eius voluntatem est regulandum, si de ea apertè constat: prout in nostro casu in quo inter filias, vel descendentes earum voluit alternatiuè seruari ordinem primogenituræ. Et licet secundũ ordinem literę in quarta substitutione vocate sint filiæ, & postea descendentes cum alternatiua, vel, non tamen ex contextura literę, & vocatione filiarum, aut descendentium ex eis, regulanda est hæc succesio, vt primum incipere debeat à filiabus, & non magis à descendentibus, pręsertim si sunt de descendentibus domnæ Annæ, inter quos ab initio fuit fundata prima linea succedendi, & radicata in don Bernardino, & secunda in domna Blanca, & sic prima linea perpetuo debet durare, & discurrere per omnes succesiones, & substitutiones descendentium ex domna Anna, seruato ordine primogenituræ, ita vt semel ingressa succesione in prima, debeat durare donec sit finita. Et ideo existente domino de Cetina, in prima linea quo ad tertiam,

tiam, siue quartam substitutionem seruari debet ordo primogenituræ, & in ea conseruandus, ita vt etiam si domna Blanca viueret illi præferendus foret cum sit de secunda linea, imo ipsa illam constituat. Quandoquidem satis cõstat, quod primogenitura emanauit in tertia substitutione à domna Anna, inceptiue tamquam à trunco, ibi: Començando de la mayor, instituendo varias lineas inter filios & filias suas seruato ordine, per prius & posterius, & certum est tot lineas ab ea emanasse, quot erant numero filij, & filiæ suæ, & ita don Bernardinum maiorem, tamquam primogenitum constituisse sibi primam lineam, & omnibus successoribus suis & domnam Blancam, secundogenitam secundam lineam, sibi & omnibus descendentibus suis. Quæ lineę perpetuo debent atendi & durare in omnibus gradibus & successionibus omnium descendentium ex domna Anna, seruato ordine primogenituræ. Et sic quis non dixerit quod cum appellatione descendentium ex filiabus comprehendantur nepotes & descendentes omnium filiarum don Santij, quod maluerit præferri, & anteponi domino de Cetina, pro nepoti domnæ Annæ, & nepoti don Bernardini ( in quo radicata fuit successio ) domnam Blancam si viueret quanto magis ea mortua tempore delatæ successionis, & per eius mortem don Iustum eius filium. Nam (prædefuncta domna Blanca) inter descendentes filiarum dominus de Cetina, occupat primum locum, & habet prærrogatiuam gradus, & lineæ & ideo inter descendentes ex filiabus omnibus alijs præferendus erit. Denique ( vt nihil intactum relinquatur ) non releuant quæ pro parte don Iusti allegantur, quod in quarta clausula est peruertendus ordo successionis in hoc maioratu, vt incipere debeat, vel debuisset à domna Blanca si viueret tempore delatæ successionis per mortem don Caroli, tamquam prima vocata inter filias & per eius mortem à don Iusto prætermissa vocatione domini de Cetina, quia institutor maioratus, solum atendere voluit, vt quemadmodum deferri volebat successionem per filios masculos filiarum suarum, excepta domna Maria, & quod deinde continuaretur per descendentes masculos de gradu in gradum per lineam masculinam, quod deficientibus his omnibus masculis successio inciperet à sororibus filiorum masculorum, & discurreret per omnes suos descendentes oblitus omnino & immemor masculorum ex fœminis de dictis lineis procedentibus. Et sic dominum de Cetina, neque ex persona propria, neque ex persona matris suæ vocatum fuisse, & hunc aiunt esse literalem sensum & aperte deduci, & colligi ex combinatione tertiæ, & quartæ clausulæ. Quandoquidem ad hoc respondetur primo, quis hunc sensum reuelauerit, aut vnde eruatur ? Cum nihil tale resultet ex contextura verborum vtriusque clausulæ, sed totum contrarium videlicet quod successio deferatur inter filios masculos filiarum suarum de gra-

du in gradum incipiendo à primo qui fuit don Bernardinus. Et licet eo, & don Bernardino minore eius filio sine masculis decedente deferenda erat successio don Carolo qui secundam lineam inter masculos filiarum constituebat, adhuc tamen nondum finita erat successio vigore tertiæ substitutionis, nam adhuc deficientibus omnibus his masculis per lineam masculinam deferenda erat successio ad descendentes masculos ex fœminis eorundem filiorum, & sic ad nepotes ex suis filiabus, vt aperte constat ex vltimis verbis. Y despues dellos a sus descendientes varones antes que a muger alguna, in qua substitutione expresse continetur dominus de Cetina, tamquam masculus descendens, ex don Bernardino maiore, per quæ verba etiam fœminæ non censentur exclussæ, quia prælatio suponit vocationem, & sic clare constat vocatos esse masculos ex fœminis, qui præcederet debeant ipsasmet fœminas. Ex quibus satis liquet dici non posse fuisse finitam primam lineam don Bernardini maioris, neque transitum fieri debere ad successionem filiarum vigore quartæ substitutionis, & quod sic prius incipere debeat a domna Blanca, & ea mortua à don Iusto, eius filio: sic enim fieret vt filiæ filiarum essent melioris conditionis, quam earum matres imo quam ipsemet don Carolus, qui prçferri non potuit don Bernardino maiori, qui erat in prima linea, neque don Bernardino minori, quia don Carolus erat in secunda linea filiarum don Santij, ita quoque domna Blanca, quæ est in secunda linea respectu dō Bernardini maioris, neque don Iustus, eius filius præferri debent domino de Cetina, vt iuxta mentem don Santij seruetur equalis ordo succedendi in vtraque substitutione tertia & quarta, & non præposterus, & hçc est magis literalis intelligentia & conformis voluntati institutoris. Et hoc ipsum procedit, etiam atenta natura maioratus in quo pro certa regula traditur quod in successione primogeniorum duplex linea considerari solet & debet, altera illius, qui successionem occupat quam non potest efficere nisi ille qui in maioratu succesit, tunc enim constituit sibi lineam & omnibus suis descendentibus. Altera linea est ipsius primogeniti, quam efficit is qui primo natus fuit, nam illico adquirit ius primogeniturç sibi, & omnibus suis descendentibus, & ea durante excludit lineam secundogeniti, & omnium suorum descendentium. Et neutro modo, hæc vtraque linea in domna Blanca considerari potest, non prima, quia ea non occupauit successionem dum vixit, viuente don Carolo, & sic non poterat efficere lineam primam sibi & successoribus suis. Neque etiam altera vigore primogenituræ ei competit, quia non fuit primogenita, sed don Bernardinus maior, qui sibi & descendentibus suis, primam lineam constituit & semel ingressa in ea successione, & ea durante excludere debet domnam Blancam, quæ secundam lineam constituit, & omnes suos descendentes quãto magis hoc

pro-

procedere debet ea pręmortua. Et sic tanquam caducata eius substitutione, nullam spem transmitere potuit in Don Iustum. Atque ideo successio inter descendentes ex filiabus in quarta substitutione vocatos regulanda est, ex propria cuiusque persona seruato ordine primogenituræ, quę prius deferenda est descendentibus masculis ex prima linea don Bernardini maioris, & sic domino de Cetina in ea existente, quam don Iusto existente in secunda linea, vel eam efficiente mortua eius matre, vnde asserendum videtur dominum de Cetina, tàm vigore tertię substitutionis quàm quartæ præferendum esse don Iusto sine impedimento aliquo vocationis discretiuè, cui satis superq; satisfactum fuit, & non esse inconueniens eundem in diuersis clausulis esse sibimet substitutum, sicut institutum & substitutum secundum varios rerum euentus, & casus qui contigere possunt quod exẽplis planum fiet, nam de vocatione domini de Cetina vigore tertiæ substitutionis, & quod post deficientiam omnium filiorum masculorum, & descendentium suorum per lineam masculinam ex filiabus don Santij, succedere debeant filij, & descendentes masculi ex filiabus eorundem et filiorum masculorum primi gradus, & sic nepotes ex eis in secundo gradu constitutos, habito respectu tantum ad masculinitatem, & gradus prærogatiuam respectu eius, & non ad agnationem, hoc negari non potest, & fieri posse de voluntate testatoris; sicut è conuerso videmus aliquando remotiores præferri proximioribus, vt in plerisque casibus consultum videmus, & de iure responsum. Et in simili facti specie huic nostro exemplum habemus fere per omnia exequatum in quodam insigni maioratu huius Regni in quo masculi descendentes ex filijs masculis, & etiam descendentes ex filiabus eiusdem testatoris (quod magis est) prius vocati fuerunt, & pręlati filiabus, & descendentibus masculis eorundem filiorum masculorum primo loco vocatorum successiuè de gradu in gradum. Nihil enim certè magis frequens, aut vsitatum est in maioratibus, & fideicommissis quam vocare prius ad successionem primam lineam masculinam, & postea fœmeninam, vel primam lineam masculinam ex masculis: & postea, & ea in totum deficiente, vocare lineam masculorum descendentium ex fœminis, & quod prima finita succedat secunda. Et licet aliquando prima linea suspendatur, non tamen in totum extinguitur, sed adueniente suo casu redintegratur successio, & reuertitur ad primam quæ suspensa erat per trãsitum ad secundam, licet aliquis ex comprehensis in ea sit proximior vltimo possessori, vt ex facto contigit in casu decisso per Senatum Barchinoneñ. in quo prius fuit vocata linea masculina, & deinde fœmenina. Et licet prima finita vnica tantum filia relicta delata fuerit successio ad alterum masculum qui filiam reliquerat, non huic secundę, sed filię primę lineæ masculo-

masculorum successio delata fuit, inducti, & moti ex eo Senatores, quia prima linea masculorum non in totum exclusa fuit, sed suspensa interim quod durabat secunda, & ea finita redeundum censuerunt ad primam. Quę decisio tanti Senatus adęquata videtur causæ præsenti, vt per illam decidẽda videatur, vt per mortem don Caroli successio reuertatur ad dominum de Cetina, quia est in prima linea, & non sit deferenda ad domnam Blancã, etiam si viueret licet esset proximior don Carolo, in qua frustra sit fundamentum nouæ successionis vigore primogenituræ, cum adhuc duret prima linea don Bernardini. Quanto magis mortua domna Blanca. Et quia alternatiua frustra fuisset apposita side altero ex alternatiuè vocatis prædefũcto, esset habenda ratio. Nam ideo posita fuit alternatiua, vt si in vno ex alternatiue vocatis non possit verificari successio, vel locum non habeat per præmorientiam illius tempore delatæ successionis tamquam per vulgarem vocati ad alterum deferenda sit successio videlicet, vt deficientibus filiabus, quæ deficere debent necessario ad descendentes deferatur successio in quibus perpetuo duratura est secundum voluntatem institutoris, ibi: perpetuamente, & sic nihil mirum, quod eadem succedendi forma pręscripta fuerit, in hoc maioratu in tertia substitutione, vt prius successio deferretur per omnes filios masculos filiarum & descendentium suorum per lineam masculinam, & quod eis deficientibus succederent filij, & descendentes masculi ex filiabus eorundem filiorum masculorum prius vocatorum, & ita per mortem don Caroli, sine vllis filijs succedere debere dominum de Cetina, tamquam filium masculum per lineam fœmeninam ex domna Sperantia existẽtem in prima linea don Bernardini maioris, & pręferendum esse tamquam primogenitum cuicumque alteri si extaret ex filiabus don Caroli, aut cuiuscumque alterius fili masculi. Quanto magis præferendus est don Iusto, qui non descendit ex filiabus filiorum masculorum don Santij, sed ex domna Blanca, nullomodo vocata in tertia substitutione. De comprehensione vero eiusdem domini de Cetina, in quarta substitutione ad euitandam superfluitatem, vel absurdum exemplo res fiet plana, quod facile contingere potuit supponendo, quod tempore mortis vtriusque don Bernardini & don Caroli, nati non dum fuissent dominus de Cetina, & don Iustus, sed existere in rerum natura domnam Blancam, & domnam Sperantiam, vtra earum esset præferenda in successione certum est, iuxta magis receptam opinionem & de foro Canonizatam domnam Sperantiam tamquam neptem esse præferendam amitæ suæ, sicut nepos ex fratre patruo suo, quia habet prærrogatiuam gradus, & lineę existens in prima & domna Blanca in secunda etiam si esset proximior don Carolo consanguineo suo germano, quia proximitas non atenditur nisi respectu illorum, qui intra eandem lineam continentur certum est autem domnam Blancam, neque don

Iustum

Iustum esse de linea don Caroli, sed de linea domnæ Annę, & ipsam constituere secundam lineam. Quanto magis si contingeret domnam Blancam fuisse premortuam tempore delatæ successionis, quia tunc inter descendentes ex filiabus, postquam in aliqua earum esset radicata successio, ea esset regulanda seruato ordine primogenituræ, & ita potuit euenire casus, vt vnus & idem potuerit comprehendi inter descendentes masculos ex tertia substitutione, si eo tempore natus esset, vel si non, ipsum comprehendi in quarta, si radicata successione in aliqua ex filiabus, natus fuisset. Denique resoluendo omnia prędicta dicendum videtur, quod facta collatione, & comparatione inter dominum de Cetina, & don Iustum in successione huius maioratus, & de ea, inter eos pręlatione cũ aperte constet dominus de Cetina fundatam habere intentionem suam in vocatione descendentium masculorum tertiæ substitutionis modo & forma prędictis: & etiam in quarta, in vocatione descendentium, cum prerrogatiua gradus & lineę in primogenitura iuxta voluntatem don Santij institutoris huius maioratus, & iuxta eius expressa verba toties repetita & quod ad vnũ tãtũ deferatur successio seruato ordine primogeniturę, & non atenta proximitate vltimi possessoris, vel eius qui succedere debuerat (quod ei facile fuisset dicere si voluisset,) proximiorem succedere debere vltimo possessori, & non magis seruari ordinem primogeniturę: Contra vero don Iustus voluntati don Santij, & eius expressis verbis contradicat, primogeniturę ordinem prępostérando, & interuertendo. Ideo pro domino de Cetina concludendum videtur, cũ Cicero. *Multo magis accedere ad voluntatem scriptoris, eum qui ex ipsis literis eã interpretetur, quam eum qui sententiam scriptoris non ex ipsius scripto spectet, sed domesticis suspitionibus perscrutetur.*

*SIG ✠ NVM mei Ioannis Ludouici de Abiego in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati Scribæ mandati suæ Maiestatis, auctoritateq; Regia per totam terram, & dictionem Domini nostri Regis publici Notarij, qui huiusmodi vota & motiua à suo originali libro motiuorum Regij Consilij Ciuilis huius Regni Aragonum Regiæ Audientiæ, vbi continuata existunt extraxi, & cum dictis suis motiuis, & libro bene & fideliter comprobaui, & meo signo signaui, constat de suprapositis, vbi legitur, & Hieronymæ Lizarbe coniugum, & Hieronymæ Lizarbe, & Domna Catherina, autem, masculinã, verum etiam, aliam defectus descendentium per lineã, fuisset impertinẽs, nec aliquid operaretur, & debuere dicere filios non quidem de ea, & ea viduitate & ea, post eius mortem, quæ etiam aliunde, repertus; illis, dominus de Cetina descendentes ex illo & est, descendentes & casus qui contingere possunt quod exemplo, & de rasis emendatis, sequitur, cum, vel, & comprehensionis cum sic, era, ptes, no, ral, alternatiuis præmorie, tacite, agendos, de viribus ea, fit.*